3 1761 05099028 2

PA
26
N28
1908
c.1
ROBA

SERTUM NABERICUM.

SERTUM NABERICUM

COLLECTUM

A

PHILOLOGIS BATAVIS

AD CELEBRANDUM DIEM FESTUM

XVI^{UM} MENSIS IULII

ANNI MCMVIII.

LUGDUNI BATAVORUM

E J. BRILL.

MCMVIII.

285824
19. 9. 29

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

Lugd. Bat. ex typographeo E. J. Brill.

Germany

INDEX.

Pag.

NABERO GRATULANTUR PHILOLOGI BATAVI. . . . . 1.

M. I. BAALE, qua de causa θῆλυς Ὅμηρος cognomen inditum sit Anytae poetriae. . . . . 5.

J. W. BECK, de errore quodam philologico . . . . . 13.

J. W. BIERMA, in Senecae Phaedram . . . . . 23.

M. BOAS, de duobus epigrammatum gemellorum paribus . . . . . 29.

U. PH. BOISSEVAIN, ad Cassium Dionem LX, 8, 7 . . . . . 37.

C. BRAKMAN I. F., ad Scholia Bobiensia . . . . . 47.

C. P. BURGER JR., de Flavii Iosephi antiquis interpretibus Belgicis. 57.

W. CALAND, het stichtingsverhaal van Thebe en Karthago . . . . 71.

P. H. DAMSTÉ, de verbi mutandi usu apud P. Papinium Statium. 79.

A. J. EGELIE, ad Libanium. . . . . 87.

J. M. FRAENKEL, de Socratis Apologia Platonica. . . . . 95.

H. VAN GELDER, ad nomina propria Graeca . . . . . 107.

P. J. M. VAN GILS, ad Tacitum. . . . . 117.

P. GROENEBOOM JR., annotationes variae . . . . . 121.

J. J. HARTMAN, lingua ... cena . . . . . 131.

H. VAN HERWERDEN, ad Dionem Prusaeum . . . . . 139.

D. C. HESSELING, ξυρός. . . . . 145.

G. E. W. VAN HILLE, de dilectibus a tribuno plebis impeditis . . 157.

A. E. J. HOLWERDA, de Pythiis bipartito actis. . . . . 167.

J. H. HOLWERDA JR., de coronis sepulcralibus . . . . . 177.

H. O. DE JONG, de Luciani Sostrato et Philostrati Agathione. . . 185.

H. T. KARSTEN, Ciris . . . . . 193.

H. KERN, Grieksche woorden in het Sanskrit . . . . . 205.

K. KUIPER, de Saturno restituto (Hes. Opp. 269—269*e*). . . . . 213.

J. VAN LEEUWEN J. F., conversus in pretium deus . . . . . 223.

Pag.
I. H. Leopold, de vocabulis medicis apud M. Antoninum obviis . 233.
J. Mehler, ad Homerum . . . . . 239.
M. B. Mendes da Costa, Homeri Naberias . . . . . 245.
J. H. A. Michelsen, uittreksels uit het Evangelie volgens Thomas. 255.
J. C. Naber, ex iure Attico . . . . . 273.
H. M. van Nes, πρόσωπον et persona . . . . . 285.
R. van Oppenraay s. J., τυραννικά. . . . . 295.
J. G. van Pesch, ad Plat. Civ. III 392*c*—398*b*. . . . . 305.
H. J. Polak, ἄτακτα . . . . . 313.
A. Poutsma, de emphasi. . . . . 329.
Y. H. Rogge, annotationes in Satyram primam Gerardi Geldenhaurii Noviomagi . . . . . 339.
M. A. Schepers et J. van IJzeren, scholia vetera ad Aristophanis Equitum vss. 1—20 . . . . . 347.
J. Six, tonitrus imago . . . . . 363.
J. S. Speyer, duo vocabula Graeca postliminio in integrum restituta. 371.
C. C. Uhlenbeck, de Indogermaansche vischnamen . . . . . 377.
I. M. J. Valeton, de numero praetorum a. 406 Athenis condemnatorum . . . . . 387.
M. Valeton, de oratione περὶ Ἀλοννήσου, quae dicitur, Hegesippo oratori vindicanda. . . . . 405.
A. van Veldhuizen, ad Novum Testamentum observationes duae . 415.
J. C. Vollgraff, observationes criticae . . . . . 419.
C. Gul. Vollgraff, ad Thucydidem et Herodotum observationes duae. 429.
J. Vürtheim, de Octavia praetexta . . . . . 435.
J. van Wageningen, ad Senecae dialogos. . . . . 445.
S. J. Warren, Chion, Coberus et Cobetus. . . . . 457.

NABERO GRATULANTUR PHILOLOGI BATAVI.

NABERO

exacto feliciter aetatis anno octogesimo

gratulantur

philologi Batavi.

„Octoni decies tibi, si fortissimus, anni
Contingent" Regis nobile carmen ait.
At quis fortis erit dicendus? Num genus omne
Qui nostrum foliis arboris assimulat
Rege minus verax illo sapiensque videtur,
Non vitam sibi quae testificetur habet?
Longius an si quis paulo produxerit illam
Communis legis victor habendus erit?
Fortis erit non qui complures *vixerit* annos,
Aequales sed qui *vicerit* ingenio;
Moribus at si quis multos sibi *vinxerit*, ille
Denique victoris praemia iure feret.

Te, Nabere, igitur quis vixit fortior unquam,
Pluribus an quisquam fidus amicus erat?
Egregium te suspicimus colimusque sodalem:
Cultorum series quanta sit ista vides.
Omnibus idem animus: digno Tibi munera ferre
Quaeque decent faustum dicere verba diem.
At quae praecipue semper tibi munera grata
Dulcius atque aliis quae Tibi verba sonant?
Munus erit quidquid communem promovet artem
Quaeque illam celebrant dulcia verba Tibi.
Hoc igitur sertum Musarum fertur ad aras,
Mnemosyne natis nam sacer hicce dies.
Accipient placidae, quia tu Nabere sacerdos
Munera nostra Tuo nomine grata facis.

I. I. H.

QUA DE CAUSA ΘΗΛΥΣ ΟΜΗΡΟΣ COGNOMEN INDITUM SIT ANYTAE POETRIAE.

Qua de causa Θῆλυς Ὅμηρος cognomen inditum sit Anytae poetriae.

SCRIPSIT

MARIA IOANNA BAALE.

Quum reputarem mecum, quid tibi, clarissime Naber, laete celebranti diem, quo octogesimum aetatis annum exigeres, scriberem in albo, venit mihi in mentem te in lectionibus tuis academicis praeter ceteros laudare solere Homerum nobisque tironibus exponere recentiores auctores ex perenni illo fonte haurire numquam destitisse. Itaque statui paucis ostendere Θῆλυν quoque Ὅμηρον sedulo imitari Maeoniden.

Notissimum est Anthologiae Graecae libri IX epigramma 26, in quo Antipater Thessalonicensis cum novem musis comparat totidem poetrias. Cuius carminis prior pars sic se habet:

Τάσδε θεογλώσσους Ἑλικὼν ἔθρεψε γυναῖκας
ὕμνοις καὶ Μακεδὼν Πιερίας σκόπελος·
Πρήξιλλαν, Μυρώ, Ἀνύτης στόμα, Θῆλυν Ὅμηρον,
Λεσβιάδων Σαπφὼ κόσμον ἐϋπλοκάμων.

Diu diiudicari non potuit, quid sibi vellent verba illa Θῆλυν Ὅμηρον. V. d. Knaack [1]), increpans Hartungium, quod nimis

1) Apud Susemihl. Geschichte der griechischen Litteratur in der Alexandrinerzeit. II. pag. 529 ann. 50.

confidenter coniecerit ad epica Anytes carmina, quae aetatem non tulerint, id epitheton esse referendum, Antipatrum significasse virile quoddam ingenium ostendere Anytes poesin censet ipse. Ego in specimine inaugurali [1]) scripsi haec: [eo cognomine] indicare voluisse videtur Antipater eum inter poetrias occupavisse locum Anyten, quem inter vates tenuit Homerus.

Omnes has interpretationes a vero aberrare hisce postremis annis mihi apparuit. Quid enim? Cum discipulis meis Iliadem Odysseamque legens ac relegens, identidem offendi locos Homericos poetriae epigrammatis tam similes, ut fieri non possit, quin credam multa ex Anytes carminibus meras esse retractationes Homericorum versuum. De epigrammate VII 486 ante hos novem annos id iam observavit Stadtmuellerus, qui in Anthologiae editione sua ad hoc carmen annotat: obversabantur Anytae versus Homerici Il. XXIII 102 sqq. Ipsa in specimine [2]) aliquot Homeri et Anytes versus inter se comparavi, sed, ut fit, cum mihi tunc deesset tempus accurate perscrutandi totam Homericam poesin, non semper acu rem tetigi.

Quia autem longum est omnes, quos retractavit Anyte, locos Homericos nunc exscribere, praestare videtur fusius me dicere de uno poetriae carmine, quod, argumento desumpto ab Odyssea, praeter cetera abundat Homericis locutionibus. Est autem Anthologiae ep. VII 646:

Λοίσθια δὴ τάδε πατρὶ Φίλῳ περὶ χεῖρε βαλοῦσα
εἶπ' Ἐρατὼ χλωροῖς δάκρυσι λειβομένα·
Ὦ πάτερ, οὔ τοι ἔτ' εἰμί, μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει
ἤδη ἀποφθιμένας κυάνεος θάνατος.

1) Studia in Anytes poetriae vitam et carminum reliquias pag. 46.
2) pagg. 102—111.

Etsi iure monuerat Stadtmuellerus Anyten memorem fuisse Aeschyli Agamemnonis versuum 1555—1559:

ἀλλ' Ἰφιγένειά νιν ἀσπασίως
θυγάτηρ, ὡς χρή,
πατέρ' ἀντιάσασα πρὸς ὠκύπορον
πόρθμευμ' ἀχέων
περὶ χεῖρε βαλοῦσα φιλήσει,

tamen in specimine [1]) suspicata sum poetriam usum dualis non esse mutuatam a loco Aeschyleo, sed formam χεῖρε ab utroque poeta recentiore esse haustam ex communi vetere fonte. Nec fui in errore, nam et Aeschylus et Anyte respexit Odysseae libri XI locum illum, ubi cum matris umbra colloquitur Ulixes [2]). Nec miror, quod his adeo versibus delectati sunt, nam vix aliis ullis melius illustratur insignis herois pietas erga parentes, uxorem, filium. Quam praeclare etiam depingitur Anticleae amor matris, cui mortem attulit filii desiderium [3])! Itaque facile intellegimus, cur Aeschylo citato loco hi potissimum versus sint obversati. Postea Anyte argumentum filiae patrem osculatae a poeta tragico sic est mutuata, ut etiam respexerit primarium fontem. Nam ut Homerus dicit de dolore filii, a quo discedit mater, sic Anyte de maestitia filiae moribundae carissimum patrem postremum compellantis. At contra apud tragicum poetam tantum abest, ut sit sermo de parentum liberorumque digressu, ut dicat Clytaemestra Iphigeniam, quae versetur apud inferos, patri ad Orcum descendenti usque ad flumen Acherontem obviam esse ituram. Accedit, ut plus quam dimidia pars Anytes versus primi arcte conveniat cum fine Odysseae versus XI 211. Plures nunc deinceps versus ex libro XI [4]) exscribam, ut

1) pag. 102.
2) Od. XI 152—225.
3) Od. XI 197—204.
4) Od. XI 209—223.

appareat etiam voces οὐ .... ἔτ', in tertio poetriae versu obvias, manasse ex eodem fonte. Ecce:

καί μιν Φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδων·
‚μῆτερ ἐμή, τί νύ μ' οὐ μίμνεις ἐλέειν μεμαῶτα,
ὄφρα καὶ εἰν Ἀίδαο φίλας περὶ χεῖρε βαλόντε
ἀμφοτέρω κρυεροῖο τεταρπώμεσθα γόοιο.
ἦ τί μοι εἴδωλον τόδ' ἀγαυὴ Περσεφόνεια
ὤτρυν', ὄφρ' ἔτι μᾶλλον ὀδυρόμενος στεναχίζω;'
ὣς ἐφάμην, ἡ δ' αὐτίκ' ἀμείβετο πότνια μήτηρ·
‚ὦ μοι, τέκνον ἐμόν, περὶ πάντων κάμμορε φωτῶν,
οὔ τί σε Περσεφόνεια Διὸς θυγάτηρ ἀπαφίσκει,
ἀλλ' αὕτη δίκη ἐστὶ βροτῶν, ὅτε τίς κε θάνῃσιν·
οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν,
ἀλλὰ τὰ μέν τε πυρὸς κρατερὸν μένος αἰθομένοιο
δαμνᾷ, ἐπεί κε πρῶτα λίπῃ λευκὸν ὀστέα θυμός,
ψυχὴ δ' ἠύτ' ὄνειρος ἀποπταμένη πεπότηται.

Ex comparatione Homeri Anytesque versibus textus quoque lucramur emendationem apud utrumque poetam. Nam Odysseae versu XI 211 pro tradita lectione φίλας vv. cc. van Leeuwen et Mendes da Costa in editione sua substituerunt φίλω, nec dubito, quin eadem dualis forma apud Anyten lateat sub corruptela φίλῳ. Non puto poetriam, quae optime noverat epica carmina, ignorasse adiectivum φίλος apud Homerum hoc versus loco positum plus semel esse referendum ad sequens substantivum χείρ, ut ostendunt hi versus:

Od. XII 331. ἰχθῦς ὄρνιθάς τε, φίλας ὅ τι χεῖρας ἵκοιτο.

Il. VII 130. πολλά κεν ἀθανάτοισι φίλας ἀνὰ χεῖρας ἀείραι,

nec video causam, cur a fonte discrepans ipsa potius ad praecedens substantivum πατήρ rettulerit hoc adiectivum [1]).

1) Similiter in Myrus epigrammate VI 119, quod factum est ad exemplum Anytes carminis, versu tertio legitur:

οὐδ' ἔτι τοι μάτηρ ἐρατὸν περὶ κλῆμα βαλοῦσα.

At contra novimus pristinas dualis formas saepissime esse corruptas in codicibus. Suadeo igitur, ut et apud Homerum et apud Anyten laudatis versibus legamus formam φίλω.

Transeo ad Anytes epigrammatis partem alteram, in qua multis editoribus displicuit tradita lectio μέλας δ'.... κυάνεος θάνατος, quod falso illi opinabantur cum uno substantivo coniungi non posse duo adiectiva. Quibus de causis sollicitanda non essent verba κυάνεος θάνατος exposui in specimine [1]), sed dubitabam etiamtum, num recte se haberet alterum adiectivum. Scripsi enim: omnino non dubito, quin retinenda sit lectio κυάνεος θάνατος, sive in praecedenti versu legamus μέλας, sive cum Stadtmuellero νέφος, sive praestet scribere μέλαν, ut propter sequens verbum καλύπτει proleptice sic appelletur moribundae oculus. Hodie autem mihi constat formam μέλας non magis quam κυάνεος esse mutandam. Respexit enim nostra versus Homericos, quales sunt hi:

Od. V 353. αἰθυίῃ εἰκυῖα· μέλαν δέ ἑ κῦμα κάλυψεν.

Il. XXIII 693. θίν' ἐν φυκιόεντι, μέλαν δέ ἑ κῦμα κάλυψεν.

Od. IV 180. πρίν γ' ὅτε δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν.

Od. IV 402. πνοιῇ ὕπο Ζεφύροιο μελαίνῃ φρικὶ καλυφθείς,

quibus in versibus adiectivum μέλας semper attinet ad subiectum verbi καλύπτειν. Itaque non iam dubitari potest, quin servanda sit tradita lectio: μέλας δ' ἐμὸν ὄμμα καλύπτει ἤδη ἀποφθιμένας κυάνεος θάνατος.

Quod pluribus verbis disserui de uno epigrammate, id in universum valet de omnibus, quae supersunt, poetriae carminibus. In nullo desunt voces locutionesque Homericae; atque adeo maior pars versatur in iis argumentis, quae iam in epica poesi erant tractata. Antiqui igitur, et ipsi imbuti carminibus epicis, cum legentes Anytes epigrammata identidem

---

1) pagg. 143—146.

admonerentur Homericae poeseos, θῆλυν Ὅμηρον appellaverunt poetriam Tegeaeam. Nam vix crediderim Antipatrum Thessalonicensem primum usum esse hoc cognomine; a poetriae aequalibus inditum ei esse mihi videtur. Erat inter Anytes sectatores Myro poetria, quae non modo in epigrammatis [1]) diligentissime imitata est artem magistrae suae, sed etiam familiaritate cum ea erat coniuncta [2]). Myro autem in iuventute aliquamdiu Anytes discipula in Peloponneso morata esse videtur, quo tempore Cephisodotus sculptor utriusque poetriae elaboravit simulacrum. Postea Myro nupsit Andromacho, e quo peperit filium, nec fortuito factum esse credo, ut huic filiolo nomen daret Homero. Itaque, nisi omnia me fallunt, Homerus tragicus nomen suum habet ab Anyte poetria, quae iam ipsius aetate a Graecis, artem eius admirantibus, appellabatur θῆλυς Ὅμηρος.

---

1) Anth. Gr. VI 119 et VI 189. Cf. annot. 8.

2) Cf. Reitzenstein. Epigramm und Skolion pag. 135 infra et specimini mei inauguralis pagg. 30—39.

DE ERRORE QUODAM PHILOLOGICO.

De errore quodam philologico.

Hor. S. I 6, 126 *fugio campum lusumque trigonem.*

SCRIPSIT

J. W. BECK.

In libro, quem nuper de Horatio conscripsi, [1]) cum multos alios locos a viris doctis aut rubro signo notatos aut invita Minerva interpretatos, tum locum illum omnium fere celeberrimum, qui artis criticae rationis monumentum adhuc extat singulare, percensui (p. 44—49).

Ut non magis interpretationem meam quam errorem illum philologicum, sive lepidum nescio cuius inventum, sive fraudem doctam [2]) dicere malis, gravioribus argumentis confirmem, tam res ipsa quam accusatio mea haud dubia postulare videtur. Nam quod Schanzius, quem permagni aestimare non desinam, in libro illo de Historia literarum Romanorum [3]) hunc locum verum Schibolet Blandinii vetustissimi nominavit neque opiniones longa aetate et auctoritate multorum inveteratas evertere cuiquam mortalium primo impetu contigit, hoc artis criticae Horatianae propugnaculum errorum a diversis partibus mihi aggrediendum esse satis diuque perspexi. Quo enim magis philologis persuadebitur lectionem manuscriptis

1) Horazstudien; Haag, Nijhoff. 1907.
2) Cruquius und die Horazkritik, von J. Häussner, Leipzig 1884, p. 50 sqq.
3) II 1² S. 126.

traditam [1]) integram esse, eo magis pretium alterius lectionis, quae ob verisimilitudinem speciosam multorum oculos nimis diu praestringebat, diminui necesse est. Quod veterum aures aut oculos aut animos laedebat, id homines recentioris aetatis interdum laedebat minime. Qui saepius, quae recte et latine dicta erant, vitiosa esse putabant, quae ob varias causas barbarorum sermonis vestigia prae se ferebant, eleganter dicta esse arbitrabantur. Cuius rei coniecturae innumerabiles et Antibarbari editiones septem certissimi sunt fidelissimique testes. Sic hodie quoque exterarum gentium linguis qui utuntur, quam saepe specie falluntur!

Nos quidem locum illum Horatii quam diligentissime interpretati in hunc modum vertendum esse tandem nobis persuasimus (Horazstudien, p. 47): 'aber sobald die heisse Sonne mich, wenn ich müde bin (von geistlicher und körperlicher Anstrengung), mahnt ein Bad zu nehmen (und es also meridies ist, denn das prandium folgte), suche ich der Zeit [2]) des rasenden Löwen, oder des tollen Hundes, (d. h. denjenigen Stunden, wo man am besten fühlt, dass die Sonne in den Löwen getreten ist, und das sind ja gerade die Mittagsstunden) zu entfliehen.'

Verba 'fugio rabiosi tempora signi' iam ab alia quadam parte illustranda sunt.

Artem, quam astrologiam, deinde astronomiam (Seneca) dicebant veteres, saec. I a. C. apud Romanos non solum in doctorum vel poetarum umbraculis atque libris, sed etiam, quantum opus erat, in ludis literarum coli atque exerceri,

---

1) vs. 125 seq. *ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum*
admonuit, fugio rabiosi tempora signi.
sic in aDERΦ Bland. Porph.; in Bland. m. 1, Goth. (cod. rec.): *fugio campum lusumque* (*lusitque* Goth.) *trigonem.*

2) 'tempora' hoc loco = Stunden, vgl. Horazstudien, p. 47 et infra in hac disquisitione. (p. 18).

in omnes pervulgatum est. Sed verisimile est non ex ipso caelo sed ex libris (carminibus) astronomicis plerumque doctrinam hausisse suam et poetas et magistros et, quod non mirandum est, studiosos discipulos. Horatius in iis rebus, quae ad astronomiam et astrologiam pertinent, multus est. At quae de Cepheo dixit (C. III 29, 17) satis demonstrant, cuius oculis Horatius caelum observaverit. [1])

Imprimis Arati Solensis (saec. III a. C.) libros latine reddebant et legebant Romani. Is vir ne ipse quidem astronomiae peritus erat (Cic. de Or. I 16). Omnes in hac re anteibat M. Tullius, quem sequebatur Germanicus (ultima aetatis suae parte), posteriore aevo praeter alios Avienus rem suscipiebat (saec. IV). Avienus in Arato vertendo *Ciceronis* (Cic. 48 et Av. 636), multo saepius *Germanici* libellum adhibebat. Praeterea *Lucretium* (Maass, Aratea p. 314), *Vergilium* (Kosten, de Avieno Dionysii interprete, Tübingen 1888, p. 16), *Horatium*, de quo nihil nisi observatiunculam tenuem inveni, habebat exempla.

De ratione dicendi astronomorum, prout res postulat, pauca memoranda sunt. Ante omnia adnotanda sunt vocabula saepe repetita veluti 'tempora' (duplici significatione), 'ora',' fugere', 'sequi'. Sidera veniunt, abeunt; fugiunt, sequuntur, fugantur; nomina signorum et stellarum imagines movent varias. Huius rei testimonia infra adiecta sunt [2]); ex quibus et hoc

---

1) Sed nos quoque in fastis nostris ad 23 d. Iulii — 23 d. Augusti dies Caniculares indicamus, quamquam Sirius hodie m. Aug. ultima demum parte ante ortum solis conspicitur (45 a. C. Atheniensibus ortus est d. III m. Aug.). Multo autem absurdius est quod futurae tempestatis praedictionem vetustissimam posterioribus temporibus paucis mutatis ad regiones nostras transtulimus.

2) *tempora*: Avien. Ar. 58 madidae *tempora noctis*, 68 (edere) *tempora*, 230 *menstrua tempora*, 614 *tempora* designant, 931 *tempora* nosse, 987 albenti cum canent *tempora* bruma, 1054 *singula* frugiparos attollunt *tempora* vultus (= Ἄρατος 552 πᾶσαι ὧραι), 1069 venientum *tempora* signis, 1275 venientis *tempora* signi, 1329, (1337) *tempora* mensis, 1377 (1503)

disci potest poetam metro vinctum verbo fugiendi semel c. acc. pro abl. usum esse, quod hoc loco casu quodam non male dicitur [1]). Summa vero prudentia comparandi sunt loci huius modi: Ov. Fasti 3,641 *fuge ... maestum tectum*: entfliehe dem Trauerhause (non: 'aus dem T.'), Met. 7,744 *insidiosa ... limina fugit*: sie entfloh dem trugvollen Hause, Met. 15,60 *fugerat ... Samon*: er musste S. meiden (exsul) [2]). Qui 'fugit locum' iam extra locum est vel esse eum alii ponunt (Ov. F. 3, 641).

---

tempora lunae, 1388 si certis singula signis *tempora* discernas, 1496 totum discerne in *tempora* mensem, 1787 tria *tempora* prodit arandi.

Germ. Ar. 267 ostendit *tempora* bina, 587 numquam te *tempora noctis* effugient, 724 habet ille notas quae *tempora noctis* significent (= Ἄρατος 731 *νυκτὸς μέτρα*, 464 *μέτρα ἐνιαυτῶν*).

tempora = *ora*: Avien. Ar. 153 *saetosa tempora* (= Ἀρ. 56), 162 *dextri temporis*, 193 *tempora draconis*.

Germ. Ar. 56 *cava tempora*.

ora: Av. Ar. 727 (canis) cui multus rubor imbuit *ora*.

Germ. Ar. 606 *feri venientis* defugit *ora*, 612 accipe quae *vitent* exorsae *virginis ora*, 641 (pristis) occasu *insequitur* metuentis virginis *ora*.

fugere, sequi (*fugare*): Germ. Ar. 283 at laeva *fugit* instantem sibi Pegason ala, 341 auritum leporem *sequitur* canis, et *fugit* ille. (cf. Cic. Ar. 120 sqq. lepus *fugit*, ... canis *sequitur*), 350 pars ... *coeuntia saxa* ... quom *fugit* Iason, 561 olim quas *fugerat* undas, 606 *defugit* ora, 630 nam si Phoebeos currus, dum longa venit nox, occasu *sequitur*, rursus *fugit* oceanum ortu, 641 (pristis) occasu *insequitur* ... virginis ora, 644 quom clarus *fugerit* amnis, scorpios Oriona *fugat*, 658 Orion *fugit*, 705 laetior illa Nereidas pontumque *fugit* (*γ*) (Nereidos pontoque fugam Z), 708 *Plias ab undis effugit*, frgm. IV, 9 cum Pliada *fugit*. — Av. Ar. 1234 Oceano *fugientem* Sirius urget (cf. 755 mersum per umida (= *in* Oceano) quaerit; Germ. 682 tutus *in* undis est lepus).

Praeterea observandi sunt loci hi: Av. Ar. 1762 *si fugiunt volucres raptim freta turbida Nerei*, comp. Ἀρ. 1025 *ὄρνεα πάντα | ἐκ πελάγους φεύγοντα* cum Germ. 704 *pisces educunt Cepheida; laetior illa Nereidas pontumque fugit.*

1) Av. Arat. 1762 *si fugiunt volucres raptim freta turbida Nerei* (Ἄρατος 1025, *ἐκ πελάγους φεύγοντα*). Germ. 704 *pisces educunt Cepheida; laetior illa | Nereidas pontumque fugit caeloque refertur* (non *ἀπὸ κοινοῦ* est, Cepheis educta (mari) fugit pontum cum Nereidis).

2) Horatius: *Acheronta* (c. III 3, 16), *urbem* (Ep. II 2, 77 < *amat nemus*), *Salamina patremque* (c. I 7, 22) fugere. *Fugere* c. acc. loci = fliehend etwas vermeiden, fliehen, nicht kommen in, meiden, meiden müssen.

Adnotatio illa (p. 15 et 16) satis declarat, cuius generis et quam multa ea vocabula sint, quibus poesim astronomicam imbuerint; quae rivis diversis ad Italiam et caput orbis affluebat, ita ut nemo qui Lucretium, Vergilium, Ovidium, Propertium, Horatium, ut paucos afferam, penitus intellegere velit, impune astronomiae artem spernat: '*nec si rationem siderum ignoret poetas intellegat, qui, ut alia omittam, totiens ortu occasuque signorum in declarandis temporibus utuntur*' (Quint. Inst. or. I 4,4).

Avienus igitur Horatii poemata non ignorabat, versabat idem et alios, quos supra (p. 15) memoravimus. Complures loci Avieni cum locis Horatianis congruunt; sunt vocabula satis rara et loci ii, quorum similitudinem non casus, sed lectio et studium efficiat[1]); quamquam pauca sane ex communi poetarum fonte haurire eum potuisse manifestum est.

At duos locos memorabiles separatim tractare malo:

Avien. Ar. 1069 *prompta via est aliis venientum tempora signis.*

„ „ 1274 seq. *haut toto tamen hic se corpore promit*
sed manet alterius venientis tempora signi.

Hoc ante omnia moneo hos locos nullo vinculo cum exemplis i. e. neque cum ipso fonte (Ἄρατος), neque cum Ciceronis, neque cum Germanici libello arte esse coniunctos. Cf. ad v. 1069 loci hi: Ἀρ. 561 sqq., Cic. Ar. 341, Germ. Ar. 573 sqq.; ad v. 1274: Ἀρ. 693 sqq., 704, (Cic. 480), Germ. 693 sqq.

---

1) *noctiluca* c. IV 6, 38 et Avien. IV (sec. Holderi ed.) 429, *semesus* S. I 3, 81; II 6, 85 (etiam apud Verg.) et Avien. Ar. 1758; c. I 16, 22 *me quoque pectoris temptavit in dulci iuventa fervor et in celeres iambos misit furentem* et Avien. Ar. 67 *Me quoque nunc similis stimulat furor edere versu ....*; c. III 6, 38 *Sabellis ducta ligonibus versare glaebas*, Ep. 5, 30 *ligonibus duris*, Epist. I 14. 27 *non tacta ligonibus arva* et Avien. Ar. 68 *cum duris versare ligonibus arva*; c. I 28, 1 *numeroque carentis arenae* et Avien. Ar. 80 *pars numeris et honore caret*; Epist. II 1, 225 *poemata deducta* et Avien. Ar. 626 *carmina deduxerat*; c. I 21, 5 *nemorum coma*, IV 3, 11 *comae* (IV 7, 2) et Avien. Ar. 1585 *silvarumque comas*; c. III 17, 13 et Av. Ar. 1742; Ars 116 *sedula nutrix* et Avien. Ar. 1794; c. I 5, 3 *sub antro* et Avien. Ar. 623.

Ab iis locis ad locum Horatianum S. I 6, vs. 125, 126 est revertendum adhibitis insuper locis his:

Hor. c. III 29, 19 *stella vesani leonis.*

Germ. Ar. 611 totius *canis rabidi* vestigia prima.

Hor. Ep. I 10, 16 *rabiem canis.*

Plin. N. H. VIII 152 *rabies canum.*

Varro, de R. R. I 28,2 *caniculae signum.*
ib. I 41,2 „ *signo.* } κύων, σείριος.

Postremum: Hor. c. III 13,9 'flagrantis atrox *hora* caniculae', in quo versu voc. 'hora' = 'anni tempus' esse vulgo putant. Nescio an per 'horae': 'tempora' i. e. 'Stunden', interpretandum sit. Eas horas, quibus sol maxime furit, quantum fieri potest, locum umbrosum petentes fugere conantur: (c. I 17,17) *hic in reducta valle caniculae vitabis aestus*, Tib. I 127 *canis aestivos ortus vitare* i.e. die Hitze, welche herrscht während der Sommerzeit, wo canis (am östlichen Himmel) erscheint, meiden. Voc. 'tempora' hoc loco (S. I 6) = 'horae' esse et supra in adnotatione (p. 14, adn. 2) docuimus et his locis potest confirmari: Avien. Ar. 58 *tempora noctis*, Germ. 724, 587 *tempora noctis* (724 = Ἀρ., Φαιν. 731 νυκτὸς μέτρα). Voc. 'tempora' huic rei aptissimum esse et dactylicis poetis maxime placuisse in propatulo est. Ceterum Horatius hoc vocabulo saepissime num. sing. et plur. in omnibus spatiis temporis itemque in rebus secundis, adversis, laetis adhibere consuevit.

Itaque ad hoc tempus non intellexi, quid in his verbis: '*fugio* (de conatu) *rabiosi tempora signi*' quemquam offendere possit: congruunt enim cum Horatii ratione cogitandi et scribendi, congruunt eadem cum sermone eorum, qui has res attingunt, congruunt cum sermone eorum, qui de rebus astronomicis et de tempestate scribebant, congruunt denique ex parte cum Avieno, Horatii imitatore. Quid igitur in hoc sententiarum nexu aptius excogitari possit, prorsus ignoro

idque in disputatione mea (p. 44—47) fusius exposui. Utrum Horatio hos versus pangenti hoc in animo versatum sit solem signum Leonis ingredi an poeta de ortu matutino (heliaco) Caniculae (die XVIII m. Iulii Plinio teste), qui eodem tempore fieri solet, cogitaverit, id nihil ad rem pertinet [1]).

Neque facile enucleare possis, num et hoc loco, ut eius est mos, poeta logo vel sententia ludat: cf. Cic. Ar. 121 (lepus) hic *fugit*, ictus | horrificos metuens rostri tremebundus acuti. | Nam canis infesto *sequitur* vestigia cursu; Germ. 341 auritum leporem *sequitur* canis, et *fugit* ille. Praeterea voc. 'tempora' = 'ora' esse potest (cf. Adn. p. 16: Avien. Ar. 153 *saetosa tempora*, Germ. Ar. 56 *cava tempora*, Av. 726 *canis .. cui plurimus ardor aestuat in mento, multus rubor imbuit ora*). Et voc. 'rabiosi' apud Horatium imaginem animalis sponte in mente suscitat.

Quomodo tandem fieri potuit, ut lectio cod. Blandinii a. fere 1565 combusti ('fugio campum lusumque trigonem') lectionem genuinam codicum, qui extant, expelleret? Nimirum quod male interpretabantur voc. 'tempora' semper in diebus canicularibus haerentes [2]). Sed hoc permulti non intellexisse videntur: is qui hanc lectionem invenit, aut homo antiquus non fuit aut certe is, quem differentia inter 'fugio e loco' et 'locum' fugeret. Infersit igitur verba a poetae sermone aliena.

Qui dicit 'fugio e loco' [3]), is vulgo certum quoddam punctum temporis indicat, quo hunc locum relinquit (punktuelle Aktions-

---

1) Avien. Ar. 734 *huic* (Sirio) *rutilos si sol adflexerit axes;* Cic. 113 *Hic* (Sirius) *ubi se pariter cum sole in lumina caeli extulit.*

2) Vulgo vertunt: .... fliehe ich die Zeit des Canis d. h. die Hundstage. At nemo dies caniculares fugere potest! Praeterea haec male cum praecedentibus coniunguntur. Itaque ambabus manibus lectionem Cruquianam arripiebant. Sed iidem non satis perpenderunt quam difficile sit Tibullianum illud: *canis aestivos ortus vitare!!*

3) Horazst. p. 48: *fugio campum* = *f. a campo* (ich fliehe den campus oder aus der Nähe des c.), *f. a campo* ist auch *f. e campo*, aber *fugio campum* ist nicht = *f. e campo.*

art φυγεῖν ἐκ), qui 'fugio locum', is aut ibi non fuit aut iam reliquit aut iam reliquisse locum fingitur, sive tardius sive celerius decedens nihilque iam veritus vel in alio loco tutum se esse gaudens (kursive Aktionsart φεύγειν χώραν). Locum ei vel ingratum esse vel periculosum vel ob aliam causam nescio quam vitandum apparet. Quam facile hanc differentiam conturbare possint imprimis ii, quibus sensus subtilior linguae desit, deinde ii poetae, qui metri lege vincti difficultates sibi oblatas vix superare possint, facile est intellectu. Sed nusquam fere alias vitium tam facile detegitur quam hoc ipso Horatii loco. Quippe antecedunt: 'ubi me fessum sol acrior ire lavatum admonuit' .... (ἐπειδάν .... κελεύσῃ *aorist.* vel *punkt.* Aktionsart), ita ut expectemus: 'fugio e campo' (φυγεῖν, ἐκφεύγειν ἐκ *punkt.* Aktionsart), haud vero 'fugio campum': fliehe den Marsfeld (*kursive* Aktionsart) aut: suche den M. zu fliehen. An quisquam dixerit: wenn es zwölf Uhr ist, fliehe ich mein Bureau? At nos dicimus sane cum hoc: 'als de vacantie begint, *ontvlucht* ik de stad' *fugio ex urbe*, tum: 'gedurende de vacantie *ontvlucht* ik de stad' *fugio urbem*. Sed aliter loquitur vir Romanus, aliter vir Germanus, sive Batavus est, sive Cruquii, professoris Bruggensis, popularis Flandrensis, sive monachus Blandinius, sive noster Cruquius ipse. Horatius per totam aestatem vel aestatis partem, per horam vel horae partem 'fugere campum' potest, — *ubi* autem *hora meridiana esse coepit*, nihil nisi 'fugere e campo' ei licet.

Quid, si posterioris aetatis homo nescio quis suae linguae usu deceptus hac coniectura se bearit, philologorum mentes oblimarit nimia cura poetam deterens magis quam emendans? Restat denique ut per Lexicographiam hic error philologicus, quem ratio iam diu exstirpare debuit, radicitus evellatur.

IN SENECAE PHAEDRAM.

In Senecae Phaedram.

SCRIPSIT

J. W. BIERMA.

Vs. 85 sqq.

O magna vasti Creta dominatrix freti,
cuius per omne litus innumerae rates
tenuere pontum quicquid Assyria tenus
tellure Nereus pervius rostris secat.

Et G. Richter et Fri. Leo, recentissimi harum tragoediarum editores, verba *cuius per omne — pontum* corrupta habuerunt. Neque loco, utpote qui laboraret, ingenii sui auxilium negaverunt. Leo *tenuere portus*, Richter *tuentur omne* legendo arbitrati sunt, versum in meliorem iam statum sese perducere posse.

Sed coniectura Leonis, quae inventum alicuius Itali antiquioris — nam *portum* est lectio recensionis Italae iunioris — refovet, toti horum versuum tenori adversa est; eam enim coniecturam si in textum receperis, Phaedra laudet navium mercatoriarum magnas classes, quae per omne insulae litus portus capiunt relinquuntque. Quisquis vero, qui Phaedrae sit animus hos versus pronuntiantis: ex domo magnae et potentis insulae regnatrice, nomine uxorem re obsidem, se proiectam esse in aulam regis hostilis, qui se neglegat et spernat — quisquis id perpensaverit, concedet, post primi

versus vocabulum *dominatrix* sequi debere ea, quae accuratius pingant, quod delineetur hoc vocabulo.

Rationem vero coniecturae Richteri vix habeo quo modo mihi explicem: *cuius per omne litus innumerae rates | tuentur omne quicquid Assyria tenus | tellure Nereus pervius rostris secat.* Quod ad sensum attinet, etiam Richterum putare apparet, his versibus explicitius dici ea, quae vocabulum *dominatrix* indicat. Sed qua re tandem vocabulum *pontum* delet? An putat, melius Latine dici *omne quicquid* quam *pontum, quicquid Nereus Assyria tenus secat?* Nam si propter metrum solum mutavit, parum coniectura *tuentur* commendatur. Ab elegantia quidem versus ea mutatione non profecisse videtur. Immo vix dubito, quin, si codices haberent *omne*, nunc dicturi fuerint, errore librarii illud *omne* ex versu praecedenti huc irrepsisse. Itaque haec coniectura omnino improbanda, etiamsi negligere volueris, tam gravem corruptionem in codice, qualis est Etruscus, parum veri similem esse.

Sed interprete, mea quidem opinione, non correctore versus eget. Cavendum, ne genitivum *cuius* — id quod Leo facere videtur — cum vocabulis *omne litus* coniungas potius quam cum *innumerae rates*; quam quidem positionem relativi non inusitatam esse, apparet ex vss. 410 sq. huius fabulae

clarumque caeli sidus et noctis decus,
cuius relucet mundus alterna vice.

Tenuere quod editiones veteres tutantur, iam ante Leonem nonnullis suspectum fuisse, inde apparet, quod Bothe in eo tempus perfectum defendere conatur. Ratio vero ipsa, qua id fecit, minus felix videtur. Saepius apud nostrum praesentis vi perfectum adhiberi contendit exemplis laudatis; ea vero omnia id genus sunt, ut perfectum aut notionem praeteriti, non praesentis, habeat aut perfectum sit, gnomicum quod vulgo dicitur.

Quid? Ad correctionem igitur recurrendum! Si sit, medela multo levior quam ea, a Richtero quae proposita est, sufficerit. Possis enim tentare aut *texere* (cnf. Agam. vs. 41) aut *domuere*.

Sed, id quod dixi, persuasum habeo, locum non aegrotare. Quid enim vult: „classis illud mare tenet?" Profecto hoc: „classis per illud mare navigat, ad illud mare iam pervenit." Sic illud Vergilianum dicitur: *et metis tenet aequora tuta relictis* (Aen. V 171). Itidem Phaedra dicit, classes sui patris omnem maris regionem adiisse, ad omnia iam litora penetravisse. Unde nimirum non sequitur, ut eo quo loqui fingitur tempore hoc facere iam desierint.

Ib. vs. 330 sqq.

Sacer est ignis (credite laesis)
nimiumque potens. qua terra salo
cingitur alto quaque per ipsum
candida mundum sidera currunt:
haec regna tenet puer inmitis,
spicula cuius sentit in imis
pervius undis rex Nereidum
flammamque nequit relevare mari.

In antiquioribus editionibus hic locus ita ferri solet, ut in interpolata recensione Itala ab ignoto aliquo medii aevi critico est mutatus, ut sidera *mundo aethereo* dicantur currere et *caerulus grex Nereidum* in undis spicula amoris sentire. Eam ob rem sagacitas et divinatorium ingenium vetustiorum criticorum hic cessavit; locum enim ante oculos habere solebant ea forma, ut nulla ex parte laborare videretur.

Sed posteriores editores vera natura recensionis interpolatae, non dico perspecta — nam veteriores iam bonitatem Etrusci cognitam habebant — sed suo pretio aestimata, lectiones

Etrusci revocaverunt. At quomodo putare potuerint, hoc facto omnia recte se habere, vix intelligo. Quod dixit Bothe „friget *ipsum*" (vs. 332) nemo infitias ibit neque quia alibi (velut vs. 88) Nereus *pervius* dicitur, id bonum hoc loco sensum praebet.

In versu 332 etiam metrum mihi suspectum est; nam anapaestus *quaqué per* habet quod offendat, etsi duo triave exempla huic addi possunt, quibus particula *que*, post relativum posita, ictu metrico percutitur in systemate anapaestico. Accedit, quod Etruscus, quamquam satis accurate scriptus, in voculis parvis, qualis est *qua*, nonnunquam peccat aut omissione aut iteratione. Quid multa? Credo *que* particulam inde ortam esse, quod librarius *qua* bis exaraverit, atque hoc latuisse, cum simul t p̄ ū pro ꝙ p̄ ū legerit; versum igitur sic restituendum esse

cingitur alto, qua [que] per superum.

Asyndeto saepissime utitur noster, velut vs. 126, 130, 131 Phaedrae. Compendia, raro fortasse, sed tamen usurpata fuerunt in archetypo Etrusci, ut apparet ex lectione, quam Etruscus praebet in versu 18 Herculis Furentis.

Altero loco littera F cum P mutata effecit, quod fuit fervidus, ut abierit in pervius; *fervidus* προληπτικῶς Nereus dicitur, quia flammis amoris uritur.

Itaque totum locum sic legendum propono:

qua terra salo
cingitur alto, qua per superum
candida mundum sidera currunt:
haec regna tenet puer inmitis,
spicula cuius sentit in imis
fervidus undis rex Nereidum.

DE DUOBUS EPIGRAMMATUM GEMELLORUM PARIBUS.

De duobus epigrammatum gemellorum paribus.

SCRIPSIT

M. BOAS.

„ἔσπετο κῦδος ὀγδωκονταέτει"
(Simonides ep. 147, 5 sq.)

Poetis aetatis Alexandrinae epigrammaticis fuisse morem duobus deinceps epigrammatis idem vel consimile argumentum illustrandi cum complura demonstrant epigrammatum paria in utraque Anthologia servata tum adeo inscriptio ostendit in Bithynia nuper reperta [1]), quae duobus deinceps epigrammatis eiusdem adulescentis, in pugna in Coropedio (a. 281) commissa occisi, memoriam celebrat. De eiusmodi epigrammatis gemellis ita compositis, ut alterum par alteri respondere videatur, disserere mihi est in animo.

Unus Planudes in Anthologia sua servavit duo epp. demonstrativa in athletas (Anth. Plan. III *a* 2, *εἰς ἀγωνιστάς*, 1 sq., *Σιμωνίδου* et *τοῦ αὐτοῦ* = Anth. Pal. q. v. d. append. Plan. 23 sq.), quae quis omnino non cohaerere primo dixerit obtutu, neque subsequentibus quidem numeris muniri solent (epp. Simon. 154 et 156 Bergk., in Hiller.-Crus. Anth. Lyr. 134 et [151], apud Hauvettium de l'auth. des épigr. de Simonide 75 et 86):

1) Cf. Br. Keil Rev. de Phil. 26 (1902) p. 257 sqq.

ep. 154 B. εἰπόν, τίς, τίνος ἐσσί, τίνος πατρίδος, τί δ' ἐνίκης;
Κασμύλος, Εὐαγόρου, Πύθια, πύξ, Ῥόδιος [1]).

ep. 156 B. Μίλωνος τόδ' ἄγαλμα καλοῦ καλόν, ὃς ποτε Πίσῃ
ἕπτακι νικήσας, ἐς γόνατ' οὐκ ἔπεσεν.

Ecquis prius ep. iure titulum Simonideum prae se ferre putaverit i. e. oriundum esse ex Sylloge Simonideorum epigrammatum, quae sub finem saeculi quarti composita esse videtur? [2]) Fingi enim viatorem quemlibet monumentum appellantem cippumque vel statuam quaerenti respondentem, aevi est degeneris ab illo antiquo atque simplici more genuinorum epigrammatum Simonideorum (92, 96, B.), in quibus viri fortes peregre occisi alloquuntur peregrinum. Auctorem autem huius ep. fuisse necesse est recentioris aetatis poetam, qualis Meleager erat, qui AP. VII. 470 epitaphium dialogi in modum conceptum sic incipit:

εἰπὸν ἀνειρομένῳ τίς καὶ τίνος ἐσσί,

vel qualis Antipater Sidonius, qui AP. VII. 426 ex leone, pueri fortissimi sepulcrum ornanti, quaerit:

εἰπέ, λέων, Φθιμένοιο τίνος τάφον ἀμφιβέβηκας;

Alterius epigrammatis 156 indolem esse irrisoriam recte perspexerunt Kaibel Rh. Mus. 28 p. 459, Hauvette p. 142; fuerunt autem viri docti, qui ἕξακι pro ἕπτακι scribi iuberent, quae opinio etiam nuper probata est in commentario Blümnero-Hitzigiano ad Paus. 6. 14. 2. Finxit enim poeta illius Milonis Crotoniatae, qui Olympia sexies lucta victor septimum palmam reportare non potuisse traditur (cf. praeter Pausaniam loci laudati a Rutgersio ad Iul. Africanum Ol. 62 = a. 532), simulacri inscriptionem, quae septies victorem celebrare videbatur. Ep. igitur neque genuina Milonis statuae inscriptio

1) Marc. εἶπον, corr. vulgo; τί δὲ νίκης, non νικῆς, ut me monuit Stadtmüller, corr. Bergk; Κασμύλος recte in cod. se habere Stadtmüller idem monuit.

2) Cf. diss. mea de epp. Simonideis p. 137 n. 103.

est neque oriunda ex Sylloge Simonidea. Titulus vero τοῦ αὐτοῦ quin sit integer dubium non est, pertinet autem ad illum recentioris aetatis poetam, cuius nomen praecedenti epigrammati praefixum a Simonideo obscuratum esse vidimus. Comparatis autem exordiis et nostri ep.

Μίλωνος τόδ' ἄγαλμα καλοῦ | καλόν, ‖ ὅς ποτε Πίσῃ

et ep. app. Plan. 5 Antipatri Sidonii in Zenonem Citiensem

τῆνος ὅδε Ζήνων Κιτίῳ | φίλος, ‖ ὅς ποτ' Ὀλυμπον

et ep. AP. VII. 65 Antipatri (sc. Sidonii, cf. Setti gli Epigrammi degli Antipatri p. 74) in Diogenem Cynicum

Διογένευς τόδε σῆμα σοφοῦ | κυνός, ‖ ὅς ποτε θυμῷ

facile nobis persuademus, quae vetus corruptela saepius Simonideis titulis subesse videatur, eam hic quoque esse agnoscendam: Simonideum epigramma utrumque (ΣΙΜΩΝΙΔΟΥ) deberi Antipatro Sidonio ([Ἀντιπάτρου] ΣΙΔΩΝΙΟΥ) [1]). Ex hac comparatione apparet id, quod etiam per se patet, nullam esse causam mutandi particulam ποτέ aut cum Schneidewino in ποτὶ aut cum Bergkio in παρά. Πίσῃ enim pro ἐν Πίσῃ i. e. Ὀλυμπίασιν dictum si servamus, non cogimur amplecti virorum doctorum interpretationem longius quaesitam, qui nomine Pisa sive fontem sive fluvium intellegi censent [2]), nec vero nobis aberit — quam aegre desideramus — particula ποτέ epigrammaticae poesis propria; proprie nempe spectat ad homines futuros, qui post multorum annorum seriem inscriptionem lecturi sunt.

Quod autem supra verbo monui epigrammata duo demonstrativa illa in athletas app. Plan. 23 et 24 esse gemella, id hunc in modum demonstrare velim. Ep. AP. VII. 65 non solum, ut app. 5, propter exordium cum Milonis epigrammate

1) Vid. ib. p. 74. Imprimis conferatur ep. VII. 514 = Simon. ep. 120 B. (Σιμ.) coll. ep. VII. 303 (Ἀντ. Σιδ.), ib. p. 184.

2) Cf. Schneidewin Simonidis reliq. p. 206 coll. Xenophanis fr. 2 Diels (19 Mullach).

arte cognatum est, sed etiam quod in hoc numerus victoriarum athletae, in illo utensilium philosophi ridetur:

Διογένευς τόδε σῆμα, σοφοῦ κυνός, ὅς ποτε θυμῷ
ἄρσενι γυμνήτην ἐξεπόνει βίοτον·
ᾧ μία τις πήρα, μία διπλοΐς, εἷς ἅμ' ἐφοίτα
σκίπων, αὐτάρκους ὅπλα σαοφροσύνας.
ἀλλὰ τάφου τοῦδ' ἐκτὸς ἴτ', ἄφρονες, ὡς ὁ Σινωπεὺς
ἐχθαίρει φαῦλον πάντα καὶ εἰν Ἀΐδῃ.

Nonne festivum est, quod ep. idem in Diogenem, quod cum in Anth. Pal. tum in Plan. (III *a* 28, *εἰς Φιλοσόφους*, 10 sq.) huic epigrammati praecedit VII. 64, quodammodo congruere videtur cum epigrammate in Casmylum, quod in Anth. Plan. epigrammati in Milonem praecedit? Ecce:

εἰπέ, κύον, τίνος ἀνδρὸς ἐφεστὼς σῆμα φυλάσσεις; —
τοῦ Κυνός. — ἀλλὰ τίς ἦν οὗτος ἀνὴρ ὁ Κύων; —
Διογένης. — γένος εἰπέ. — Σινωπεύς. — ὃς πίθον ᾤκει; —
καὶ μάλα· νῦν δὲ θανὼν ἀστέρας οἶκον ἔχει.

Viator interrogat, signum respondet. Quis carminis fuerit auctor — quem titulus celat (Pal. *ἄδηλον*, Plan. omisit suo more titulum incertum) — optimo iure Stadtmüller iam imprimis coll. ep. VII. 426 supra laud. suspicatus est, sc. Antipater Sidonius: ut in hoc leo insigne est adulescentis intrepidi, ita in illo canis *σύμβολον* (426,6) est Cynici. Ergo epp. VII. 64 + 65, utrumque Diogenis epitaphium ficticium, gemella quoque esse videntur. Titulus autem huius epigrammatum paris, quod saepissime in florilegiis usu venit, primitus exaratus in margine inter prioris epigrammatis exitum atque exordium posterioris obvenisse videtur soli posteriori, quo factum, ut scriba vel lector nescioquis prius titulo illo *ἄδηλον* ornaret. Dubium iam nunc nullum extare poterit, quin epp. app. Plan. 23 + 24, a quibus profecti sumus, sint gemella. Recuperavimus igitur ex epigrammatis

AP. VII. 64 ἄδηλον — app. Plan. 23 Σιμωνίδου
AP. VII. 65 Ἀντιπάτρου — app. Plan. 24 τοῦ αὐτοῦ

duo epigrammatum paria *Antipatri Sidonii*, ita coniuncta, ut prius ep. priori, posterius posteriori respondere videatur. Atque me hoc recte constituisse ex eo colligo, quod quaerenti inter Sidonii epp. alterum epigrammatum gemellorum par idque integrum sese offert, AP. VI. 46 + 47 atque AP. VI. 159 + 160 [1]):

AP. VI. 46 Ἀντιπάτρου Σιδωνίου
AP. VI. 159 Ἀντιπάτρου Σιδωνίου
} in tubam a Pherenico quodam Minervae dedicatam.

AP. VI. 47 Ἀντιπάτρου Σιδωνίου
AP. VI. 160 τοῦ αὐτοῦ
} in radium (47) et in radium atque alia textricis instrumenta (160) eidem deae nec vero ab eadem muliere oblata.

Consultone an casu Sidonius haec gemellorum epp. paria, quae ex maiore numero per florilegiorum excerpta in Anthologias Pal. et Plan. pervenisse probabile est, composuerit, equidem non diiudicabo. Etenim fieri potest, ut Antipater eadem epigrammata, quae sese apud Leonidam Tarentinum, exemplum suum, excipiebant, temere bis imitatus sit. Argumenta sane complurium epigrammatum, quae laudavi, Leonidea sunt, cf. VI. 46 et 159 ∞ VI. 151, 195; VI. 47 et 160 ∞ VI. 288, 5 + 289, 7, VII. 64 et 426 ∞ VII. 422; VII. 65 ∞ 67. Utut est, quoniam Sidonii ep. VI. 47 auctoritas in dubium vocari solet [2]), parallelismus, quem observavimus, ab iis haud scio an adhiberi possit, qui quaestionem redintegrare velint de epp. Antipatri Sidonii a cognominis poetae Thessalonicensis epp. secernendis.

1) Plan. VI. 46 et 47 diremit: VI. 25 (ἀπὸ στρατιωτῶν), 3 et VI. 8 (ἀπὸ γυναικῶν), 5; VI. 159 non recepit, VI. 160 habet VI. 8 (ἀπὸ γυναικῶν), 14.

2) Cf. Setti p. 137, et Stadtmüller in ed. De epigrammate contra, cuius locus sane Sidonium arguere videtur, iure in cod. Pal. Thessalonicensi attributo sc. VII. 493 dixi Rh. Mus. 62 (1907) p. 65.

AD CASSIUM DIONEM LX, 8, 7.

Ad Cassium Dionem LX, 8, 7.

SCRIPSIT

U. Ph. BOISSEVAIN.

„Quot iam fugaces elapsi sunt anni ex quo admodum adulescentulus Amstelodami in Athenaeo Illustri scholis Tuis interesse coepi". His verbis olim magistrum sexagesimum tum annum agentem compellabat discipulus gratus beneficiorumque in se collatorum haud inmemor. Exin praeterierunt anni viginti, nec tamen qui octogenarius nunc est sexagenario illo vel animi vel corporis viribus multo videtur inferior.

Pergis etiam hodie, quanquam a docendi munere vacans, tamen nos omnes, philologos Batavos, exemplo Tuo praecipere quid opus sit facto: ut numquam intermisso labore litteris nostris usque demus operam, discipulos nostros amore studiorum imbuamus, hoc agendo gloriam captemus non nobis sed patriae.

Quid igitur mirum si hoc laeto die, quo quarta Tua vicennalia celebras, omnes quibus Tu omnesque quibus litterae in patria nostra cordi sunt, conveniunt ut quantum Te suspiciant amentque palam Tibi declarent.

Cum autem circumspicerem quodnam festo die munusculum Tibi offerrem, nullum aptius dari posse putabam quam quod petitum esset e Dione Cassio, cui ipse Tu postquam olim de

fundamentis quibus crisis Dionea niti deberet disseruisti, perutilem semper operam navasti; quorum studiorum Tuorum fructus mihi, cui in primis grati esse deberent, amice semper et liberalissime utendos permisisti.

Extat apud Cassium Dionem libro sexagesimo locus corruptus, cui inde a Xylandro viri docti variis modis opem ferre conati sunt nec tamen, si quid video, ita ut sanatum credere possis. Legitur capite VIII § 7, ubi duo duces Romanorum a barbaris victoriam reportasse perhibentur. Καίτοι καὶ τούτῳ τῷ ἔτει inquit — annus est 41 p. Chr. n. — ὅ τε Γάλβας ὁ Σουλπίκιος Χάττους ἐκράτησε καὶ Πούπλιος Γαβίνιος Μαυρουσίους νικήσας τά τε ἄλλα εὐδοκίμησε καὶ ἀετὸν στρατιωτικὸν, ὃς μόνος ἔτι παρ' αὐτοῖς ἐκ τῆς Οὐάρου συμφορᾶς ἦν, ἐκομίσατο, ὡς καὶ ἀληθὲς ὄνομα αὐτοκράτορος ἀπ' ἀμφοτέρων σφῶν τὸν Κλαύδιον λαβεῖν. Ita codex Venetus Marcianus n. 395, a quo, ut notum Tibi, ceteri pendent omnes. In quibus verbis vocem Μαυρουσίους stare non posse in aprico est: Mauretaniae incolis hic omnino locus esse nequit, cum ex iis quae statim sequantur appareat Germanicam gentem requiri. Quare populorum nominibus inter se locum mutare iussis ita scripsit Bekkerus ὅ τε Γάλβας ὁ Σουλπίκιος Μαυρουσίους ἐκράτησε καὶ Πούπλιος Γαβίνιος Χάττους κρατήσας κ. τ. λ. Atque hoc quidem infelicissime. Sulpicius enim Galba, qui imperator postea factus est, anno 39 Gaetulicum in imperium exercitus Germaniae Superioris secutus (Suet. *Galb.* 6.7, Dio 59, 22, 5, Tac. *ann.* 6, 30), cum Gaius ineunte anno 41 necatus esset ibidem remansit teste Suetonio c. 7. Inter amicos Augusti receptus Claudium a. 43 in expeditione Britannica comitatus est, Suet. *l. l.* Post demum Africam provinciam pro consule obtinuit, anno ut videtur 45 (cf. Suetonium *l. l.* cum Dione 60, 25, 6). Galba igitur anno 41 Mauros proelio vincere omnino non

potuit. Nec magis quod ex coniectura Bekkeri Gabinius Chattos vicisse putandus est, id ferri potest. Nam intellegitur sine dubio Gabinius Secundus a Suetonio memoratus in vita Claudii c. 24, cui *Cauchis gente Germanica superatis cognomen Cauchius usurpare concessit* Claudius. Unde apparet Gabinium legatum Caesaris inferioris provinciae fuisse, cui provinciae Chauci accolunt. Eundem autem haud credibile in Chattos expeditionem fecisse, quos qui bello persequuntur superiori exercitui praesunt, ut praefuit C. Silius A. Caecina Largus (*Prosop. Imp. Rom.* 3, 244 n. 507), item A. Pomponius Secundus (Tac. *ann.* 12, 27) et teste ipso de quo agimus loco P. Sulpicius Galba.

Reicienda igitur Bekkeri lectio, quae licet iam anno 1892 a Zangemeistero explosa sit (*Westdeutsche Zeitschr.* p. 312, 1) tamen, quia in editionem Dindorfianam tacite recepta est, etiam hodie viros doctos interdum in errorem induxit.

Verbis autem Suetonii quae modo ex vita Claudii laudavi fretus Καύχους pro Μαυρουσίους substituendum censuit Leunclavius, cui olim et Zangemeister adstipulatus est *l. l.* et ego quoque in edendo Dione quanquam dubitans. Nec tamen desunt quae huic lectioni parum favere videntur.

Primum enim narrat Dio aquilam legionariam clade Variana amissam, etiam tum apud gentem eam adservatam fuisse atque a Gabinio Secundo recuperatam. Unde patet hanc gentem inter eas fuisse quae auctore Arminio contra Romanos conspiraverant. Inter quas tamen Chauci non fuerunt inde ab anno 5 p. Chr. n. Romanis societate et amicitia iuncti, ut fuerunt Batavi quoque et Frisii, cf. Vell. Pat. 2, 106, Tac. *ann.* 1, 38. 60; 2, 17. 24. Deinde hoc quoque obstat quod si Καύχους a Dione scriptum fuisset haud intellegas qui factum sit ut haec vox corrupta sit non in Μαύρους — id enim mirandum non foret — verum in Μαυρουσίους. Nam quanquam cum

Zangemeistero etiam hodie autumo Μαυρουσίους παραδιόρθωσιν esse librarii vel correctoris qui propter ea quae statim apud Dionem sequuntur τῷ δὲ ἐχομένῳ (ἔτει) οἱ αὐτοὶ αὖθις Μαῦροι πολεμήσαντες κατεστράφησαν nostro quoque loco eos nominatos fuisse crederet non intellegens haec spectare ad id quod § 6 praecedebat ἐκεῖνοι δὲ καὶ τὰς τιμὰς αὐτὸν (τὸν Κλαύδιον) τὰς ἐπινικίους ἐπὶ τοῖς ἐν τῇ Μαυριτανίᾳ πραχθεῖσι δέξασθαι ἔπεισαν, tamen vocis Καύχους si quacumque de causa litterae quaedam evanuissent, litteras superstites potuit explere Μαύρους, longiore forma Μαυρουσίους explere vix potuit; vel si vox tota hausta fuisset quis credibile ducat in lacuna parvi ambitus eum Μαυρουσίους scripsisse cum praesertim formam Dioneam Μαύρους ante oculos haberet.

Atque eandem ob causam nec de Cheruscis cum Palmerio cogitandum videtur — quanquam fatendum est si Χερούσκους scriptum fuit corruptelam facilius explicari posse — nec de Bructeris, apud quos teste Tacito *ann.* 1, 60 anno p. Chr. n. 15 aquila legionis Varianae undevicesimae reperta fuit [1]).

Xylander autem, quem primum locum attigisse memoravi Μάρσους pro Μαυρουσίους substituendum censuit, memor loci Tacitei in annalibus: *ipse* (Germanicus) *maioribus copiis Marsos inrumpit, quorum dux Mallovendus nuper in deditionem acceptus propinquo luco defossam Varianae legionis aquilam modico*

1) Non tres sed duas aquilas in hostium manus venisse colligitur ex Floro 2, 30 (4, 12), 38 collato epigrammate Crinagorae (*Anth. Pal.* 7, 741, p. 515 Stadtmüller), cf. Mommsen, *die Oertlichkeit der Varusschlacht* p. 9. 47. 64 = *Hist. Schrift.* p. 209, 8; 235, 1; 245, 1. Florus tamen me iudice hoc tantum indicat aquilam unam a signifero cum in eo esset ut caperetur evolsam fuisse celatamque, evadere potuisse signiferum tantum abest ut dicat ut potius ambiguis verbis negare videatur: *signa et aquilas duas adhuc barbari possident, tertiam signifer prius quam in manus hostium veniret, evolsit mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit.* Quod autem ad epigramma Crinagorae versu tertio παρὰ χεύμασι Νείλου praebet codex Palatinus (ν in rasura), item lemmatista; γρ. ῥήνου a correctore superscriptum est habetque hoc Planudes. Igitur minime certum apud Crinagoram Ῥήνου legendum esse, ediditque Νείλου Stadtmueller in novissima editione.

praesidio servari indicat. Missa extemplo manus, quae hostem a fronte eliceret, alii qui terga circumgressi recluderent humum; et utrisque adfuit fortuna (2, 25; annus est 16 p. Chr. n.). Quem quod ad rem verum vidisse nunc autumo. Gens enim Germanica a qua anno 41 p. Chr. n. aquila recuperata est, cum olim alteram habuerit teste Dione (ὃς μόνος ἔτι παρ' αὐτοῖς ἐκ τῆς τοῦ Οὐάρου συμφορᾶς ἦν), aut Bructerorum fuit (cf. Tac. *ann.* 1, 60) aut Marsorum. At, inquies, si palaeographices ratione habita Καύχους vel Βρυκτέρους in Μαυρούσιους corrumpi potuisse negas, nonne id etiam magis negandum de voce Μάρσους? Verissimum hoc, sed ea ipsa est causa cur non Μάρσους apud Dionem scriptum fuisse crediderim verum Μαρσακίους.

MAPCAKIOTC facile abire potuisse in MAPOTCIOTC mox MAΤPOTCIOTC nemo negabit: C et O sescentiens inter se permutata sunt et litterae AK si scriptae erant ut in novo papyro historico exaratae sunt in voce ANAKPAΓΩN (*Pap. Oxyrh.* V, tab. V col. XI v. 21) quivis pro TC habere possit.

Marsacos enim sive Marsacios [1]) partem fuisse gentis Marsorum probabiliter conicere solent viri docti qui de rebus Germanorum scripserunt veluti Zeuss, *die Deutschen und die Nachbarstämme* p. 138 adn., Iacobus Grimm, *Geschichte der deutschen Sprache* [3] p. 400 (dubitans tamen), Much, *Deutsche Stammsitze* p. 112 sq. 152 sq. Sic in hac Germaniae parte reperiuntur Frisii et Frisiavones, qui Frisii minores habentur (cf. Tac. *Germ.* 34 et Müllenhoff a. l., *Deutsche Altertumskunde* 4 p. 428), Chatti et Chattuarii (cf. Zeuss *l. l.* p. 99, Grimm *l. l.* p. 400) et nomine non mutato Chauci

1) *Marsacos* Tac. *hist.* 4, 56, *Marsacis* Plin. *n. h.* 4, 106, sed *Marsaciorum* Plin. *n. h.* 4, 101 et *Marsaquius* C. I. L. 6, 3263 (inter equites singulares Augusti).

maiores et minores (Plin. *n. h.* 16, 2, Tac. *ann.* 11, 19, Ptol. 2, 11, 7), Bructeri item maiores et minores (Strab. 7, 1, 3 p. 291, Ptol. 2, 11, 6).

Marsacios autem memorat Plinius *n. h.* 4, 101: *In Rheno autem ipso, prope* $\overline{C}$ *in longitudinem, nobilissima Batavorum insula et Cannenefatium, et aliae Frisiorum Chaucorum Frisiavonum Sturiorum Marsaciorum, quae sternuntur inter Helinium ac Flevum. ita appellantur ostia in quae effusus Rhenus a septentrione in lacuus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter haec ore modicum nomini suo custodiens alveum*; item paulo post § 106: *A Scaldi incolunt extera Texuandri pluribus nominibus, dein Menapi, Morini ora Marsacis*[1] *iuncti pago qui Chersicaus*[2] *vocatur, Britanni* cet. Praeterea uno loco apud Tacitum reperiuntur Marsaci, *hist.* 4, 56, ubi Claudius Labeo pollicitus se potiorem Batavorum civitatis partem ad societatem Romanam retracturum, cum modica peditum equitumque manu ex colonia Agrippinensi in Batavos profectus nec quidquam apud eos ausus quosdam Nerviorum Baetasiorumque in arma traxisse et furtim magis quam bello Cannenefates Marsacosque incursasse narratur.

Unde in hodierna provincia nostra Zeelandia Marsacios sedes fere habuisse coniciunt viri docti, freti praesertim loco Pliniano altero quo Morinis iuncti fuisse perhibentur; nam Morinos ad Oceanum prope hodiernum oppidum *Boulogne sur mer* incoluisse certum est.

At si Marsacii insulas Zeelandorum habitasse putandi sunt nonne veri minus est simile eos a Marsis illis oriundos esse qui in Teutoburgiensi saltu una cum Cheruscis Bructeris aliis

---

1) sic D R, *marsaci* A E², *marsucis* E¹.
2) sic A, *cersiacus* E D R, *Gesoriacus* Barb.

Varum nobili clade affecerunt? Quod tamen quis contendere velit qui secum reputet migrationes gentium Germanicarum et Celticarum quam frequentes quamque longinquae fuerint. Ipsi Batavi, *Chattorum quondam populus, seditione domestica pulsi extremam Galliae oram occupavere* teste Tacito (*Germ.* 29, *hist.* 4, 12, 6), cui testimonio a quibusdam hodie fides quidem denegari solet sed sine causa. Menapii Caesaris temporibus partim vel trans Rhenum habitantes (*b. G.* 4, 4) postea multo magis ad occidentem versus sedes suas habent. Nonne Frisiavones, ut hoc quoque utar, teste Plinio 4, 106 in mediis populis Belgicis inveniuntur? Sed in re notissima exempla cumulare quid attinet.

Neque hoc obliviscendum Marsacii quas sedes iis tribuit Plinius an iam occupaverint anno 41 p. Chr. n. incertum esse. Ignoramus unde notitiam situs Germanicarum gentium habeat Plinius; hoc non dubium ex commentariis Agrippae et Augusti ei non venisse [1]). Ipse in Germania militavit, teste filio adoptivo *ep.* 4, 5, 4, ut probabiliter conicias a. 47 p. Chr. n. Corbulone duce eum apud Chaucos fuisse quorum terram victumque fuse descripsit (*h. n.* 16, 2 – 5); postea anno circiter 74 procurator Belgicae fuisse videtur (*h. n.* 18, 183; 7, 76). Et fieri potest ut quod de sedibus Marsaciorum tradit de ipsius tantum temporibus valeat. Nam si descriptionem Germaniae, totam si spectas, ex scriptore qui ante annum 41 p. Chr. n. vixerit, veluti ex Aufidio Basso, desumpsit, de suo tamen quaedam mutavit, ut semper in vasto opere suo condendo facere solebat. Sic, ut hoc utar, colonia Agrippinensis, quam memorat § 106, a. 51 p. Chr. n. demum ius coloniae adepta est et quod Treveri *liberi antea* fuisse dicuntur (ibid.), id

---

1) Cf. O. Cuntz, *Agrippa und Augustus als Quellenschriftsteller des Plinius* cet., *Jahrb. class. Phil. Suppl.* 17, p. 518 sq.

spectat ad mutatam eorum post Civilem debellatum conditionem. Itaque nihil magno opere obstare videtur quo minus credamus Marsacios quo tempore cum iis bellaret Gabinius, nondum tanto intervallo a pristinis suis sedibus remotos fuisse. Quo facilius quoque intellegi possit aquilam Varianam apud eos fuisse. Nam fatendum est dubitationem movere posse signum militare in Teutoburgiensi saltu amissum, recuperatum in hodierna provincia Zeelandia.

AD SCHOLIA BOBIENSIA.

Ad Scholia Bobiensia

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I.f.

Utinam Deus Optimus Maximus — fas est enim hodie nos pro Te, senex octogenarie, vota suscipere — Tibi etiam per nonnullos annos bonam valetudinem donet, ut Te, cum in omni arte philologica sis dux atque magister, nobis ad imitandum proponamus. Nam etsi a Te omnes omnium ordinum homines plane perfecteque discere possunt, quae sit ars recte vivendi quaeque vis insit in praeclaris illis versibus

ampliat aetatis spatium sibi vir bonus: hoc est
vivere bis, vita posse priore frui,

tamen oportet imprimis philologos Batavos, quibus litterae Graecae et Latinae cordi sint, Tuum illustre exemplum pro suis quemque viribus sequi. Qui fecerit, is felix multarum rerum causas cognoscet eiusque vita occidens Cicerone teste suis se laudibus poterit consolari.

Equidem maximo afficior gaudio, quod Tibi Tuo die natali dedicare possum aliquot nova Graeca et Latina, quae invenisse mihi videor in Scholiis Bobiensibus. Verum spes me tenet fore ut Tibi, cuius iudicium et elegantiam omnes semper admirati sunt, partem saltem coniecturarum mearum probem. Quae opinio nisi me fallit, mihi in animo est brevi alias

observationes ad eandem rem pertinentes proferre. Eius autem scholiastae Bobiensis ut mox Thomas Stangl talem editionem curet, qualis est Tua Frontoniana [1]), nunc nemo non optat.

Locos, quos corrigere conarer, selegi hosce:

H 16, 12 O 367, 1 (Pro Sylla § 36) [2]) Ab Allobrogibus nominatum Syllam esse dicis. Quis negat? Sed lege indicium et vide, quemadmodum nominatus sit.

... facta ab indicio Allobrogum et .... inlata propositione ⟨ne⟩ sensio in contrarium vergeret, vigilantissime ἀπὸ τοῦ τρόπου ipsius indicii modum tractare adgressus est ostendens quaesisse Gallos de L. Cassio Longino, quemadmodum Sylla esset animatus, et hoc eos fecisse, non quod de eius moribus et proposito voluntatis aliquid audissent, sed quod facta mentione P. Autronii, quem consortem fuisse praecedentis illius de ambitu damnationis audierant, existimassent aliquid etiam de coniuratione quaerendum.

In priore lacuna olim [3]) scripsi ἀρχῇ (= APXHI), in altera supplendum videtur αὐτολεξεί, quod congruit cum spatio vacuo.

H 60, 7 O 251, 32 (Cum pop. gratias egit § 5) A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus, a vobis natus sum consularis.

Popularis magis quam pressa et gravis haec sententia videtur, sed facit ad aures volgi, ut cum parentes procreaverint hominem, ipsi provexisse et quodammodo gradibus honorum conroborasse videantur *senatoriam dignitatem*.

---

1) De qua scripsit Robinson Ellis (Class. Rev. XVII pg. 360): so admirable an edition as Naber's.

2) Numeri pertinent ad editiones Teubnerianam, quam nuper Hildebrandt curavit et Orellianam, quae Turici prodiit abhinc annos septuaginta quinque.

3) Cf. Bobiens. (Traiecti ad Rhenum apud Kemink et filium) pg. 38.

Stangl proposuit: senatoriam ⟨ad⟩ dignitatem, equidem ablativum requiro etiam post *conroborasse* revocans: *senatoriaq.* (= senatoriaque) *dignitate.*

H. 66, 14 O 279, 13 Post lemma (Pro Mil. § 12):

Declarant huius ambusti tribuni pl.

legimus scholion, cuius posterior modo pars exscribenda est, nempe: Hunc vero „ambustum tribunum pl." eapropter dicit, quod aut videri hoc velit ipso instigante incensam curiam aut eundem ardentis curiae incendio esse deterritum, quominus diu contionaretur. Et plane .... quod sequitur:

Intermortuae contiones,

quas suspicari possumus consternatas vicinitate flammarum. Cubant in lacuna 14 litterae, quarum prima fortasse fuit K itaque censeo rescribendum esse: Et plane καταχρηστικῶς quod sequitur e. q. s.

H 82, 10 O 291, 26 (Incipit Pro Sestio) P. Sextius amicissimus erat Ciceroni(s) .... in collegio tribunorum pl., qui fuerunt P. Lentulo Spinthere Quinto Metello Nepote cos.

In lacuna, quae non occupat versiculum, non possumus Maium et Orellium audientes edere: *familiarissimusque.* Qui tamen codicem inspexerint, concedent hanc fere loci integri imaginem ob oculos legentium poni licere:

AMICISSI
MUSERATCICERONIAT
Q.CARISSIMUSINCON
LEGIO[1]).

Quocirca tueor hanc lectionem: P. Sextius amicissimus erat Ciceroni ⟨*atque carissimus*⟩ in conlegio e. q. s. Eadem adiec-

1) Hodie evanuerunt ATQ. CARISSIMUS.

tiva, quamquam inverso ordine posita sunt, legimus coniuncta Cic. de Orat. II § 15 Tum Crassus: Equidem, quaecumque vos causa huc attulisset, laetarer, cum apud me viderem homines mihi carissimos et amicissimos cet. Etiam iuvat laudare Horatianum illud (Sat. I 6, 70): si et vivo carus amicis.

H 84, 26 O 294, 1 (Pro Sest. § 10) Ut iam puerilis tua vox possit aliquid significare.

Opportunissima haec apostrophe ad P. Sesti filium, quo magis causam faceret gratiosam accedente etiam commendatione puerili, qua ei bonam spem de pietatis officiis auspicetur. Καὶ μετὰ * ατειδειας denuntiat inesse illi talia virtutis insignia, ut possit reatus paterni ultor existere.

Et lemma et scholion exscripsi, ut contextus orationis doceret flagitari καὶ μετὰ μαντείας, quod similitudo vocabuli corrupti commendat.

H 90, 14 O 298, 9 (Pro Sest. § 45) Te, te, patria, testor et vos, penates patriique[1]) dii.

Huius lemmatis verba separantur a scholio duobus versiculis vacuis (i. e. spatio 32 fere litterarum). Ibi autem veri simillimum est tantummodo Graeca nomina figurarum, quas Cicero adhibuit, olim scripta fuisse. Iam recentissimus editor proposuit ἀναδίπλωσις ἀποστροφή, quae eaedem voces in codice prope integrae legi possunt pg. 81, 9 (Pro Mil. § 101). At nostro loco necesse videtur addi παρήχησις[2]), quia hic praeterea Cicero usus est allitterationibus (t-t; p-p). Quarum allitterationum saepe altera in operibus Tullianis invenitur, velut Tuscul. I § 118: portum potius paratum nobis et perfugium putemus.

---

1) Cf. Hor. Sat. II 5, 4 patriosque penates | adspicere.
2) Cf. Norden Ant. Kunstpr. I pg. 59 in Adnot.

H 95, 8 O 302, 4 (Pro Sest. § 60) M. Catonis.

Et de hoc dictum est, qui legatus Cyprum fuerat *quorum* publicarentur.

Paene certam emendandi rationem monstravit Leo scribens: quo ⟨vendente bona [1]) Ptolemaeo⟩rum cet. Si statuimus unum modo versiculum praetermissum, praestat, nisi fallor, edere: quo ⟨*quaestore bona reg*⟩is publicarentur. Velleio enim teste Cato quaestor Cyprum est profectus, cf. II 45, 4 (Ellis. p. 64): quippe legem tulit, ut is quaestor cum iure praetorio, adiecto etiam quaestore mitteretur in insulam Cyprum ad spoliandum regno Ptolemaeum e. q. s.

H 116, 17 O 317, 16 (In Vatin. § 14) Auspicia contemseris.

Iam dictum est servante de caelo Bibulo consule hunc Vatinium legem tulisse de imperio Caesaris, ut exercitum et Illyricum et Gallias *duceret*.

Haec ultima sic refingo: ut exercitum et Illyricum et Gallias du⟨as per quinq. annos re⟩geret. Hoc supplementum unius versiculi spatium occupat, ceterum de re ipsa conferantur Sueton. Div. Iul. 22; Vell. Paterc. II 44; Mommseni Rom. Gesch. III pg. 214—215 cet.

H 124, 28 O 324, 28 (In Vatin. § 41) Labeculam.

Notabile ὑποκόρισμα [2]). Sic tamen veteres et aetatulam et nubeculam dixerunt. Sed hic consultius per deminutionem dixit, quam .... dicere maluisset: ut Milonis tam consummatam et invictam virtutem proferat, quae non possit abiecti hominis obtrectatione maculari.

In lacuna, quam primus nobis Stangl significavit, verisimile duco unum versiculum (± 16 litt.) excidisse. Fortasse igitur

---

1) Cf. H 95, 20 de bonis *Ptolomaei* publicandis cet.; requiritur ergo singularis.
2) Vocabulum Graecum addidit Ziegler.

satis simpliciter recuperamus veram lectionem restituendo: quam ⟨*si sine deminutione*⟩ dicere maluisset e. q. s. Coniunctio *si* excipitur praepositione *sine* etiam Vergil. Aen. X 31 si sine pace tua atque invito numine Troes | Italiam petiere cet.

H 139, 20 O 263, 31 (Pro Planc. § 53) An te illa argumenta duxerunt? „Dubitabitis", inquit, „quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius?"

Ex parilitate congruentium suffragiorum nitebatur probare Laterensis conspirationem quandam fuisse, quando et hic, qui reus est, et Plotius per easdem tribus designati sint. Respondetur a Tullio non esse mirandum, quippe cum designatio in duobus eandem habuerit aequalitatem suffragantium. Puncta enim hic non aliter quam in defensione Murenae suffragia significat. Et magis ⟨ἐκ τῆς ἰσοψηφίας⟩ id confirmat paratum, ut aediles sortirentur, quoniam discerni huiusmodi magistratus nisi sorte non possent.

Nimirum etiam Graece interpres significare voluit Plotium et Plancium pares fuisse suffragiis. Supplementum meum prorsus convenit spatio vacuo (14 litt.).

H. 146, 15 O 269, 10 (Pro Planc. § 83) Hic etiam addidisti me idcirco mea lege exilio ambitum sanxisse, ut miserabiliores epilogos possem dicere.

Post hoc lemma sequitur scholium, cuius extremum modo afferendum est: Non minus tamen urbane et ipse respondet denotans nimiam Laterensis et inmoderatam contumeliosae audaciae insulsitatem dicendo: Sed haec nescio quomodo frequenter in me congessisti saneque in eo creber fuisti, ut haec inmodica [creber fuisti] et ab inpudentiae temeritate venientia.

Verbis *creber fuisti* perperam e superioribus iteratis et iam a Zieglero damnatis substituo *indicet*, quod ut inseramus, suadet cum praecedens vox tum insequens. Ergo reponimus: ut haec inmodica ⟨*indicet*⟩ et ab inpudentiae temeritate venientia.

H 150, 12 O 272, 27 (Pro Planc. § 102) Salutem tibi dare possunt, qui mihi reddiderunt.

Nimis *hos*. Ad permovendos iudices procliviorem facit inpetrandi facilitatem constituens in eorum misericordia firmamentum salutis Cn. Plancii, per quos ipse sit reditum consecutus. Ita eleganter et pro se gratias agit et huic pares humanitatis eventus deprecatur.

Conicio tres litteras latinas *hos* corruptas esse e verbo Graeco καλῶς. Cave praeferas παθητικῶς, nam optimo iure Ziegler post ultimum demum lemma huius orationis: Mecum vos simul hic miserrimus et optimus obtestatur parens et pro uno filio duo patres deprecamur in congruenti spatio requirebat: παθητικῶς valde.

H 157, 16 O 347, 6 (De aere alieno Mil. fragm. XXII) Tum habuisti quasdam formidines, ⟨quae⟩ quasi cornua quaedam exciderunt impleta.

.... qua P. Clodium ad ferae alicuius et beluae similitudinem describsit.

Hic a Zieglero, cui μεταφορὰ inserendum placet, recedo, nam mihi in lacuna 9 litterarum opus esse videtur vocabulo: ἀλληγορία. Huic supplemento favet (H 86, 2): quod ipsum nobis in omnia ἀλληγορικὰ servandum est [1]).

H 162, 5 O 356, 13 (Pro Arch. § 6) Et Catonem et totam Hortensiorum domum.

---

1) Orellius hic quoque (294, 28) mavult ἀλληγορία.

Patrem Catonis significat eius, qui se post civile bellum Uticae interfecit, Hortensios autem Q. Hortensium, qui temporibus M. Tulli, quamvis aetate provectior *tamen famosior oratoris* nomen obtinuit.

Meum puto his quoque verbis turbatis medicinam circumspicere. Equidem traditam memoriam relinquo intactam, duo tantum verba unumve versiculum addo: quamvis aetate provectior tamen famosior ⟨*parum incorrupti*⟩ oratoris nomen obtinuit. Haec certe non abhorrent a scholiastae nostri redundantia. Verum comparare possumus (H 11, 21 O 363, 6): si fides et religio incorrupta in illis omnibus testimoniis fuit e.q.s.

Haec fere hoc tempore putavi esse dicenda, reliqua fortasse suo tempore Mnemosynae Tuae inserentur, dummodo ea Tu iudices digna, quae exhibeat istud Diarium, cuius paene per decem lustra tam prudens patronus et rector exstitisti, ut in litteris dignitatem et decus patriae nostrae egregie sustinueris. Namque ut consul semper cavisti et caves ne quid respublica litterarum Batava detrimenti capiat. Quodsi forte ego tamquam magistratus minor, ut in eodem simili verser, sedulo do operam, ut in provincia, quae mihi obtigit, Tuis obtemperem edictis longoque intervallo studeam Te sequi, usque fave mihi, sicut favisti. Qua de causa merito non desinam grato animo Te in iis numerare, pro quorum incolumitate vota mihi nuncupanda sunt:

ὦ Ζεῦ, διδοίης τοῖσι τοιούτοισιν εὖ!

DE FLAVII IOSEPHI ANTIQUIS INTERPRETIBUS BELGICIS.

De Flavii Iosephi antiquis interpretibus Belgicis.

SCRIPSIT

C. P. BURGER Jr.

Nihil aptius in honorem tuum, venerande Nabere, afferre posse mihi visus sum quam breves quasdam annotationes de Flavio Iosepho. Non sane mihi in animo est, de ipso Iosepho vel de operum eius contextu graeco aliquid scribere, qua de re vix quicquam scitu dignum quod tibi non iam penitus cognitum esset, proferre possem. Aliud argumentum, plerisque philologis classicis minus familiare, sed mihi ut bibliophilo magis obvium, me trahit: de auctoris versionibus antiquis belgicis pauca hic proponam.

Proavis nostris nullus ex veteribus scriptoribus frequentius in manibus erat quam auctor antiquitatum Iudaicarum, hunc iuxta Scripturam Sacram potissimum legebant. Quod nihil fortasse melius docere potest quam recensio omnium editionum belgicarum quae inde a saeculo XVI usque ad saeculi XVIII finem in lucem prodierunt, sed vereor ne talis enumeratio quamvis eloquentia quadam propria haud destituta, propter nimiam ariditatem ab indole huius fasciculi in honorem tuum collati aliena sit. Qua re potius animum advertam ad ipsos viros, philologorum nomine si unum alterumve excipias vix dignos, ideoque tibi fortasse ne nomine quidem notos, qui

opes operamve impenderunt ut Antiquitatum et Belli Iudaici volumina civibus suis legenda praeberent. Ipsorum verba lingua vernacula scripta tibi ante oculos ponam, eorum sermonem naturali simplicitate gratum tibi fruendum dabo.

In medio saeculo XVI prodiit volumen magnae formae, artis typographicae pulchrum specimen, cuius pagina praeliminaris titulum tabellis xylographicis inclusum et ornatum legendum dat:

Flauij Josephi des vermaerden Joetschen hystoriescriuers seuen boecken, van die Joetsche oorloghe, ende Destructie vā Jerusalē. Wten Griecxschē in Latijn, eñ voorts wten Latine, nv eerst in Duytschen ghestelt, met een onderwijs van een Prologhe, thoonende die nuttigheyt deser Hystorien. ¶ Des selfs Josephi leuen, by den seluen ghescreuen, ende nv corts eerst wten Griecxschen int claer ghecomen. Gheprint Thantwerpen op die Lombaerde veste, teghen ouer die gulden hant, by my Symon Cock. Anno M.CCCCC. eñ. LJJ. Met Gracie eñ Priuilegie.

In versa pagina privilegium legitur, ab Imperatoria Maiestate Simoni Coco, bibliopolae Antwerpiensi concessum, ut solus Flavii Iosephi libros quos magna impensa traducendos curaverat, typis describeret et per omnes provincias Belgicas venderet. Hunc editorem igitur tanquam primum Iosephi fautorem Belgicum ante alios audire refert, cuius rei copia minime deest, nam longa praefatione lectoribus narrat, quantopere hoc Iosephi opus lectu dignum sit, et quam mendaces certi quidam libri fuerint, quos et alii et ipse hucusque de urbis Ierusalem interitu in lucem ediderant. Ne nimis in longum rem traham, initium et finem tantum huius praefationis hic describam.

Den goetwillighen Lesers ende beminnaers der waerheyt, Symon Cock Prenter.

Hier hebdy goetwillighe lesers, niet sonder minen grooten cost, naersticheyt eñ arbeyt, in onse Duytsche Brabātssche tale, die warachtighe hystorie Flauij Josephi, vander Joetscher oorloghē, eñ laetste verderffenisse van Jerusalem, waer door Christi ons salichmakers onrechtuaerdighe doot, rechtuaerdelijck ghewrokē is gheweest. Welcke hystorie beschreuen is ouer xv. C. iarē ontrent veertich iarē na ons heeren Jesu passie eñ doot, eerst vanden

Autheur in Griecxscher talen, eñ daer na in Latijn, Walsch, Hoochduytsch, Spaensch eñ Italiaensch, eñ ander verscheyden ghemeyn talen ouerghesedt, sonder in onse nederlantsche Duytsche sprake. Welck werck ick eerst heb dorren bestaen eñ becostighen om ghetranslateert te worden, eñ ghedruct, om veel redenē by dē Translateur in zijn Prologhe breeder verhaelt, bisonder nochtans om dat ghy eñ alle beminnaers der waerheyt, niet langher en soudt bedroghē werden, van sommighe ander versierde oft verualschte historie boecxkens, die van deser destructie oft verderffenisse van Jerusalem, in voortiden, eñ som nv onlancx ghescreuen, eñ ghedruct zijn gheweest, in onse Duytsche tale,....

Ende by also ick beuinden mach dat desen minen cost ende arbeyt v aenghenaem valt, ende my oock niet onprofitelijck, soe hope ick by der gracien Gods, corts nae dit werck, in dese selue tale ende forme wt te gheuen ende voort te brenghen des selfs Josephus twintich boecken, van die Joetsche oude gheschiedenissen, een hystorie, beghinnende van der werelt beghin ende schepsele, tot dat twaelfste iaer van Neronis Keyserrijck, metten anderen scriften des selfs Autheurs, seer ghenoechlijck ende oorbaerlijck om lesen, die welcke ick nv prente. Hier mede blijft Gode beuolen. Wt Antwerpen den achthiensten dach van Meye. Anno. M.CCCCC. ende LII.

Iam a bibliopola transeundum est ad interpretem Nicolaum van Winghe, qui opus suum Marchioni et magistratibus Antwerpiensibus dedicavit. Cuius verbosi prologi pauca frustula hic ponam, quae satis demonstrabunt eum doctissimum fuisse virum et studiorum amantissimum.

.... so heuet sommighe goeden mannen minen goeden vrienden goet ghedocht my te versoecken ende te bidden, dat ick na het ouersetten der gheheelder Bybelen in onse nederlantsche Duytsche tale, dese voorseyde seuen hystorie boecken, oock soude willen in die selue onse tale ouer setten....

.... dwelck ick oock te lieuer aenueerdt ende ghedaen hebbe om dat deser hystorien scriuer, al yst een Jode gheweest ende ghebleuen, nochtans altijt oock in die heylighe kercke voor warachtich oft ymmer seer gheloouelijck ghehouden ende ghelesen is gheweest, bisonder want hy hier sulcke dinghen beschrijft die hy meest deel selue ghesien, ende som oock selue ghedaen hadde, ten tide als die gheschieden: want hy in sinen tiden was niet alleen een groot gheacht man ghecomen van der Joden coninclike ende priesterlike stamme, maer oock seer gheleert int Hebreeussch ende Griecsch ende daer bouen oock een seer vroom capiteyn ende gouverneur ende president van tgheheel lant van Galileen. Oock heeft hy dese historie bescreuen ende int openbaer ghebracht ter stont na dat dese dinghen gheschiet waren, die wile datter noch vele leefden, die dese oorloghe ghesien ende mede gheuoert hadden, die welcke hem hadden moghen wederlegghen ende bescamen, hadde hy yet merckelijck teghen die waerheyt ghescreuen....

.... want al was hy een Joetsch priester, vander Phariseen secte (welcker archeyt ende valscheyt teghen onsen heere Jesum int euangelie ghenoech blijct) so beuintmen nochtans dat dese Josephus sinen voorvaderen daer in niet ghelijck en is gheweest, oft der Scriben ende Phariseen aert gheuolcht en heeft, aenghesien dat hy in een ander zijn hystorie, te weten, int vierde capittel des. xviij. boeck vander Joden oude gheschiedenissen, seer loffelijck ende warachtelijck van onsen heere Jesu ghescreuen heeft, aldus van hem sprekende (als sinte Jeronymus dat wten Griecxschen scrijft) „In dyen tiden is gheweest een wijs man Jesus ghenaemt, yst datmen hem oock behoort een man te noemen, want hy dede seer wonderlike wercken, ende was een leeraer der gheenre die gaerne warachtighe dinghen hooren, die oock veel nauolghers hadde, so wel vanden Joden als vanden heydenen. Ende men gheloofde dat hy Christus was: maer na dat Pilatus door ons volcx ouerste princen nidicheyt hem ten cruyce ghedoemt hadde, so en hebben si hem niet te min voorts lief ghehadt, die hem van eerst hadden begonst te minnen, want hy verthoonde dyen hem seluen leuende op den derden dach, also die propheten in haer sanghen, dese ende noch ander wonderlike dinghen van hem te voren gheprophetеert hebben: ende tot deser tijt toe en is het Christen volck niet vergaen, dat van hem haren naem ghecregen heeft". Welcke woorden seer onghelijck zijn der Scriben ende Phariseen woorden, die Christum noemden eenen brasseerder ende wijnsuyper, eenen vrient der sondaren, die hem metten duyuel behielp, ende den duyuel binnen hadde, ...

Dus bidde ick uwer goedertierenheyt, dat ghy desen minen goetwillighen dienste int goede wilt nemen, den welcken ick oock anderssins uwer voorsienicheyt heb willen toescriuen, tot een teyken van dancbaerheyt, voor vele uwer goeder weldaden, desen armen clooster, daer ick nv woonachtich ben ghedaen, tsindert dat by ongheualle eens heel verbrant was. Ende by also ick beuinden mach, dat desen minen dienst u lieden ghenaem is, so wil ick metter tijt ende Gods hulpe, corts alle die andere hystorien ende scriften des seluen Josephi oock verduytschen. Hier mede blijft Gode beuolen. Ghescreuen wten clooster van Syon, onder Ekeren. Anno. M.CCCCC. ende LII. Den achthiensten dach der maent Meye.

Otiosus certe non fuit Nicolaus noster, quippe qui post totam Bibliam primum haec Bella Iudaica belgice vertere instituit, quod opus mense Maio ad finem perduxit, deinde sine mora Antiquitatum libros viginti aggressus est, quos addito opere de Maccabaeis mense Septembri insequentis anni iam totos absolvit. Hoc alterum volumen ipso anno 1553 ab editore Simone Coco in lucem editum est, praemissa nova dedicatione ad magistratus Antverpienses.

Sed iam satis de hac prima editione, transeundum enim est ad secundam quae post XL annorum intervallum (a° 1594) prodiit. Tempora interea mutata erant, acerrimum illud certamen pro libertate exarserat et vario successu gestum tandem eo evenerat ut Flandria et Brabantia, et praecipue Anversa urbs illa perillustris sub iugum regis Hispaniae redirent. Ex contrario Hollandia, provincia marina, quae antea mercatores tantum et piscatores et agricolas aluerat, sed literis paene destituta fuerat, caput extollebat. Miro ardore Hollandi religionem reformatam colebant. Scripturae Sacrae quam nemo non legere cupiebat, quotannis fere novae editiones belgicae Dordraci, Delftae, Lugduni Batavorum et in aliis urbibus, mox etiam Amstelodami in lucem mittebantur. Tunc Iosephum quoque, auctorem illum quem post Bibliam unusquisque praecipue legere volebat, in linguam vernaculam versum in lucem edere opportunum visum est. E novae huius editionis longo titulo hic tantum ponam nomina editorum Leidensium Jan Paedts Jacobszoon et Jan Bouwenszoon, et Amstelodamensis Laurens Jacobszoon, qui societate coniuncti iam editiones complures Bibliae emiserant, nec non nomen et officium interpretis Everardi Bommelii, verbi Divini Ministri in pago Voorschoten, qui ex recentiore Germanica versione Belgicam suam confecit. Ex eius praefatione, qua opus suum ordinibus Hollandiae dedicavit, pauca hic sequuntur. Versio antiquior Nicolai van Winghe ei plane ignota fuisse videtur, sed ipsa res interdum paene similem sententiarum ordinem offerebat.

Edele... Heeren, de Heeren Staten van Hollant,...
.... Naest de oeffeninghe in Godes woort, ende heylighe Schrift, welcke alleen een reghel onses gheloofs, doen en latens altijt behoort voor te gaen, soo en isser mijns bedunckens gheen nootwendigher, lustiger, ende nutter arbeyt, dan veel ende gheerne in Historien te lesen,....
... Ende hoe wel allerhande Historien met lust ende profijt mogen gelesen worden, so isser nochtans een groot onderscheyt onder den genen die Historien beschrijven, want deen den anderen met welsprekentheyt te boven

gaet, als ooc met ordere ende waerheyt der Historien. Daerom men altijt behoort de beste voor de hant te nemen, ende is mijnes bedunckens Josephus vele anderen wt volgender oorsaken voor te trecken.

Ten eersten, om dat hy de saken der religien beschrijft, onder het volck Gods ghebruyckelick, den welcken hem God bysonder heeft geopenbaert, Psal. 76...

Des Christendoms ghedenct hy als een Jode, niet so dicmael, oock niet so prijselick, als des Jodendoms, doch so dringt hem zijne conscientie ende de waerheyt, dat hy onsen Heere ende Salichmaker Christo Jesu, zijner leere, wonderwercken, lijdens ende opstandinghe, als oock zijner Discipulen, ghetuygenisse geven moet;...

... begeert yemant onderwijs ende ghetuygenisse van de ware religie ende leere, hoe de selve eerst door God int Paradijs ende door de heylighe Patriarchen ende Propheten is gepredict ende aengenomen gheworden, die vindet sulcx in Josepho van artijckel tot artijckel, veel beter als by eenen anderen Historischrijver, alleen de H. Bijbel wtghenomen,....

Is yemant een Magistraet, ende begeert zijn ampt getrouwelick te bedienen, die heeft in Josepho niet alleen nuttelicke politische wetten, maer oock vele Coninghen ende Richters tot een exempel,...

Moet hem yemant totten oorloch gebruycken laten, die vindet in Josepho niet alleen crijchsordeninghe van God selfs voor ghestelt,... maer oock een beschrijvinghe ouder crijchrustinghe,... Wonderbaerlicke practijcken ende crijchslisten,... In summa, van wat staet yemant is, sal vinden in desen Josepho ende Egesippo, 'tgene hem dienen sal 't zijnen besten.

Ende hieromme so ist dat ick mijn naersticheyt gedaen hebbe, niet alleen beyde Authores in onser sprake te translateren, maer de selve eerst int Hoochduytsch verciert met aller boecken ende capittelen, summarischen inhoudt, als oock met marginale annotatien, ende met getuygenisse der heyligher Schrift, hebbe willen vermeerderen,....

Datum Voorschoten, plaetse mijner bedieninghe, den ij Mey, int Jaer 1594.

U.E.E. onderdanichste
E. BOMMELIUS, Dienaer des Woorts
tot Voorschoten.

Bommelio fortuna magis favit quam praedecessori: eius versio per complura decennia teste editionum serie numerosos lectores habuit. Sed tandem aliquando tempus venit, quo et opus ipsum nimis asperum atque antiquum videbatur, et dignitas Batavae terrae studiorum philologicorum nutricis versionem novam ex ipso fonte Graeco haustam poscebat. Tunc (anno 1665) in lucem prodiit nova editio ex Graeca et

Latina lingua versa a Lamberto Sylvio (L. v. d. Bos), Scholae Latinae Dordracenae conrectore. Ex dedicatione in qua editor Dordracenus Jacobus Savry „wonende in 't Kasteel van Gent" et de illa vetere et de sua ipsius nova editione, nec non de ipso doctissimo interprete cui opus mandaverat, uberius agit, nonnulla describam.

Opdracht aen de ... Heeren ... Schout, Burgermeester, Schepenen en Regeerders der oude en wijdtvermaerde Stadt Dordrecht. En den .. Heere .. Nicolaus Tulp, ...

Omtrent tseventigh jaren geleden, zijn de voortreffelicke Schriften, van den wijdtberoemden Geschicht-schrijver Flavius Josephus, en die van Egesippus, over Ierusalems Verstoringe, onse Lantslieden ten oorbaer, vertaelt, en in het Nederlants uytgegeven, op dat de nut en nootwendigheyt van sulcke aensienlicke bladeren voor onse Lantslieden niet souden geheelt en verborgen blijven; doch hoe geluckighlick en betamelick, na de waerde en het vereysch van sulck een groot Schrijver, het selve is te wege gebracht, konnen sy alle oordeelen, die deselve uytgitten, oock hoe weynigh, naeuwkeurighlick, doorsocht, en doorloopen hebben. Het is het ongeluck van dien Vertaelder geweest, sich met geen als de Hooghduytsche tael te hebben beholpen, sonder toegangh tot de sprinck-ader selfs te nemen, komende hier noch by, dat hy, of door onkunde van onse tael, of ongewoonte van schrijven, sich geduerighlick in een harde, rauwe, duystere, en onbeknopte stijl heeft ingewickelt; in voegen den gragen Leser niet selden genootsaeckt is geweest, met sijn gesicht tegen sulcke nevelen te stuyten, of voor sulck een verwerringe stille te moeten staen, of, onvernoeght en sonder betamelicke onderrechtinge, voort te gaen. Dit selve, het geen aen velen een oorsaeck van misnoegen is geweest, heeft ons gedient tot een spoor en een prickel, om onse Lantslieden van een beter gericht te dienen, niet konnende verdragen, sulck een doorluchtigh Schrijver aldus mishandelt, en soodanigh een heerlicke stoffe soo qualick toegerecht te sien. Wy hebben dan, na goet overlegh, en beradingh met wijse verstandige en geleerde lieden, dit sware werck eyndelick ter hant geslagen, en desen onsen Vertaelder, tot het aenvaerden van sulck een gewichtigh stuck, bewillight; hebbende van sijne bequaemheden genoeghsame proeven en wichtige getuygenissen, soo ten insicht van sijn stijl als taelkunde, hier omtrent vereyscht; die gelijck wy versekert zijn, en V.E.E. Achtb. mitsgaders een yeder onsen Leser, verseeckeren konnen, geen yver noch moeyten gespaert heeft, maer alles, om alle nootwendige aenmerckingen en betrachtingen, soo omtrent de eene als de andere tale, en de suyverste uytdruckingen van de rechte sin des Schrijvers te vinden, aengewendt heeft. Dit dan aldus naer onsen sin uytgevoert zijnde, hebben wy niet vertoeft, onsen Druckpars daer mede te bevruchten,

en de Boeck-swangere Maeght aen het baren te helpen: Maer op dat wy oock ons deel aen dit werck mochten genieten, hebben wy de oude lamme, en naeuw besiens waerde houte platen, die de vorige vertalinge meer ontçierden als verçierden, in nieuwe konstige, çierlicke en aengename kopere verandert, tot een merckelick getal vergroot, en alsoo, gelijck wy derven vertrouwen, dit stuck geen kleyn çieraedt aengebracht....

V.E.E. Achtb. Ootmoedighste dienaer
JACOBUS SAVRY.

Ne interpretem ipsum negligere videar, pauca etiam ex iis quae „ad lectorem" de historiarum utilitate et de Iosephi fide operi praemisit, hic ponam.

... Dat hy ongelijck meer gewaghs en staets maeckt van het Jodendom als van het Christendom, moet men hem, als een Jode, ten besten houden; evenwel wort hij door een krachtige dwangh der waerheyt, tot uytdruckinge en voortsettinge van alsulcke dingen, menighmael gedwongen, die hy (indien hy sonder verkortinge van sijn gewis konde) misschien liever sou verby gegaen hebben;...

Dese dingen zijn het dan, beminde Leser, die my (beneffens het ernstigh versoeck van den Drucker) bewogen hebben, om dese nieuwe vertalinge aen te vangen, gebruyckende daertoe de Griecksche en Latijnschen text, de een tot verlichtingh en verklaringh van den ander, en dat met sulck gevolgh, dat wy derven roemen, de oude vertalinge niet alleen in klaerheyt en stijl overtroffen, maer oock van ontallicke misslagen, misstellingen, misreeckeningen, en diergelijcke overtuyght te hebben.

Tot Dordrecht desen 16 van Grasmaent, in 't jaer onses Heeren 1665.

V.E. allergenegenste dienaer en medeborger
LAMBRECHT VAN DEN BOS.

Sylvii versio fortunam parum secundam habuit; ii qui Flavium Iosephum Belgice legere volebant, essetne magis an minus recta versio nihil curavisse videntur. Post paucas editiones Conrectoris Dordraceni opus in oblivionem abiit, et nova translatio a viro polygrapho linguarum classicarum vix perito confecta in eius locum subiit. Anno 1704 a Petro Mortier nova Josephi editio Consuli Amstelodamensi Nicolao Witsen dedicabatur, quae non ex Graeca et Latina lingua, sed ex Francogallica versione — „naar 't Fransch van den Heere d'Andilly" — translata erat a Gulielmo Sewel. Pulchris tabulis

chalcographicis ornata iterum atque iterum in lucem missa est, mox (anno 1722) a Ioanne Oosterwijk, deinde (1736) a Martino Schagen. Non certe opus Sewelianum per omnes hasce editiones immutatum mansit: vide modo quae editor Martinus Schagen ad lectores scripsit, qui ubi de magna gratia qua auctor noster apud Batavos fruebatur, luculentum testimonium fert, emendatam editionem suam ab illa mendosa quae nihilominus aeque bene vendebatur, accurate distinguit.

Marten Schagen wenscht den Nederduitsche liefhebberen van Josephus werken alderley welvaren!

Geëerde Landsgenooten. Wat ons bewoog om Josephus, soo in Groot Quarto als Groot Twaelve te drukken, hebben wy in ons Ontwerp, daervan uitgegeven, eenen iegelyke opengelegt. De Folio Exemplaren genoegzaem vertiert zynde, moesten wy op 't herdrukken dezer Werken denken. Want waren 'er van twee onvolkomen-vertaelde Drukken meer dan twee-duizend afdruksels in korte jaren verkogt, en had men onze Nieuwe Uitgifte met zoo opene armen ontfangen dat een tyd van vier jaren haer reeds begon schaers te maken; wij konden ons op goede gronden verzekeren dat het herdrukken daervan, de gemeene goedkeuringe zoud wegdragen. Zoo veel te meer als de voorbaten onzer Uitgifte boven de vorige, haer boven die aenpryzen; in weerwil van 't onkundig snorren der genen die oordeelen zonder gezien te hebben, of uit byzondere inzigten, gelyk Fedrus Vos van de druiven.

Ex his verbis apparet, Martinum Schagen opere Seweliano minime contentum fuisse. Deteriori illi versioni suam ipsius editionem correctiorem opponit; scilicet operam sibi comparaverat S. Havercampii Professoris Leidensis, qui „ad benevolum lectorem" verus tandem philologus (1731) de accurata editione Auctoris nostri agit.

Goedgunstige Leezer.

Wanneer de Uytgeever en Drukker van deeze vernieuwde Uytgaave van alle de Werken des vermaarden Joodschen Historischryvers Josephus, zyne gedachten liet gaan om niet alleen dezelve met geen minder luyster dan eenige der voorige te voorschyn te doen komen; neen, maar ook zorge te draagen, dat boven al zyne Uytgaeve de voorigen zoude overtreffen, in een naader naavolging en uytdrukking van den oorsprongelyken zin en bewoording van den voornoemden Historischryver; oordeelde hy wel te kunnen behouden de beruchte en bekende overzetting van Sewel, waar van hy, be-

nevens de Voorrechten aan dat werk in zodanigen ruymte als by afschrift der Privilegie blyken kan verknocht, door openbaare opveyling en koop meester was geworden, maar dat men dezelve veel zoude kunnen verbeeteren, wanneer men een naauwkeurige vergelyking van deselve Overzetting maakte met de jongst uytgegeeve Werken van Josephus in zyne oorsprongelyke Grieksche Taale. En waarlyk niet ten onrecht. Want hem was niet onbewust, dat deez Overzetting van Sewel niet was gewrocht naar de oorsprongelyke Grieksche Josephus, maar naar zekere Fransche Overzetting, uyt welke hy dezelve in onze moedertaale had overgegooten. Waar uyt dan noodzaakelyk volgen moest, dat niet alleen de gebrekkelykheden welke die Fransche Vertaaling aankleefden, ook in Sewels gevonden wierden, maar dat dezelve insgelyks door hem, die niet in staat was, om met de oorsprongelyke taal te raade te gaan, in getal en hoedanigheyd vermeerderd wierden, naar maate, dat hy zyne voorligtende Vertaalinge min ofte meer volgde. Het is toch met de Vertaalingen gelyk met fyne vochten, die meermaalen overgegooten zynde meer en meer van haare kragt verliezen. Wat nu die Fransche en door Sewel gevolgde Vertaaling aanbelangd, omtrent dezelve zyn twee zaaken, een algemeene en eene byzondere, in acht te neemen. Wat de algemeene aanbetreft, men weet wat ruymte dat zoort van Vertaalers zich zelven geeven, wel zoo verre, dat ze zomtyds zelve een Histori schynen te beschryven, en niet zoo eene die reeds door een ander beschreeven is over te zetten, waar van ik ook deezen Franschen Vertaalder niet geheel zoude durven vryspreken; veele reegelen zomtyds naa zyn zinnelykheyd overslaande, inzonderheyd als hy daar niet wel door zag te komen, en de zinnen naa zyn willekeurig oordeel buygende....

Edoch, een zeer groote reeks van allerley zoort van feylen zoude ook niet billyk op reekening van den Franschen Vertaalder gezet kunnen worden; alle zodaanige naamelyk die (gelyk ik boven heb aangeroerd) als een byzondere zaak moeten overwoogen worden.

Hy kon zyn Vertaaling naa geen andere Druk ofte voorschrift rigten dan het geen voorhanden was. Maar naauwlyks heeft men eenig Grieks Historischryver ontmoet, die in dien tyd, wanneer de voornoemde Fransche Vertaaling voor den dag gekomen is, jammerlyker bedorven en meer ongehavend was dan Josephus; alzo een schroomelyk getal van Geletterde Mannen, die hunne vlyt besteed hadden in denzelven te verbeeteren en op te helderen, midden in hunnen arbeyd door de dood zyn weg gerukt geworden, ofte verrast eerze hun werk aan het licht konden brengen. Zedert heeft die Schryver een geheel ander aanzien gekreegen, na dat men in Engeland en Holland luysterryke Drukken heeft vervaardigd, in welke die groote Schryver van een onnoemelyk getal ingesloope feylen in de Grondtaale gezuyverd, en naa de beste Handschriften van vermaarde Boekeryen is verbeterd geworden.

Dees was dan de reden die den Boekverkooper Marten Schagen bewoog, om in 't herdrukken van deeze voortreffelyke Historischryver, niet blindeling de Overzetting van Sewel, zoo als ze was, te volgen, maar dezelve door

zodaanige Mannen, die hy dat werk betrouwde, naauwkeurig naa te laaten zien, en te doen vergelyken met de laatste Uytgaave die van de Werken van Josephus voorhanden is; niet t' onrecht oordeelende daar door het werk zelve veel te zullen verbeeteren, en den Leezer geen onaangenaamen dienst te zullen doen.

Men was al een goed eynde wegs met het drukken van dit werk gevorderd, wanneer de voornoemde Schagen door Leyde trekkende, by die gelegenheyd my berigt gaf van het geene hy onder handen had, en met een verzogt om mede myn oog daar over te willen laaten gaan, ...

Per totum fere saeculum XVIII haec emendata versio Iosephi proavis nostris in manibus fuit, et per longam editionum seriem Iudaeorum historiae notitiam apud populum Batavum aluit. Qui scriptorem non legebant, pulchras certe tabulas aeneas manu celeberrimi J. Luiken incisas quae librum ornant, contemplari solebant.

Sed iam finem faciam, vereor enim ne lectores per omnes illas versiones e linguis Latina Germanica Graeca Francogallica nimis longo itinere circumduxerim.

HET STICHTINGSVERHAAL VAN THEBE EN KARTHAGO.

Het stichtingsverhaal van Thebe en Karthago.

DOOR

W. CALAND.

Van algemeene bekendheid is de navolgende legende. Cadmus de zoon van den Tyrischen vorst Agenor, door zijn vader uitgezonden om Europa, zijne door Zeus geroofde zuster te zoeken, kwam te Delphi om omtrent hare verblijfplaats inlichting in te winnen. De godheid gebood Cadmus het zoeken naar Europa op te geven, doch zich door een rund den weg te laten wijzen en op de plaats, waar het rund zich uitgeput zou neerleggen, eene stad te stichten. Cadmus trok door Phocis en, een rund uit de kudde van Pelagon aantreffend, volgde hij dit; nadat het rund een gedeelte van Boeotië doorgegaan was, legde het zich neer op de plaats, waar later Thebe verrees. Daarna offerde Cadmus het rund aan Athena. Volgens Grieksche overlevering is Thebe dus van oorsprong eene Phoenicische en wel eene Tyrische kolonie, gesticht door een Tyrisch vorstenzoon, van wien ook gezegd wordt, dat hij de Grieken het letterschrift geleerd heeft, wat met andere woorden zeggen wil, dat de Grieken er zich nog van bewust waren, dat hun letterschrift aan de Phoeniciërs ontleend is.

Niet minder bekend is het stichtingsverhaal van Karthago.

Het staat vast, dat Karthago eene Tyrische kolonie geweest is, volgens sommigen gesticht door Zorus en Karchedon, doch, volgens de Romeinen en Karthagers zelf, door Dido uit Tyrus. Haar echtgenoot was door Pygmalion, koning van Tyrus, vermoord, waarop Dido met tal van mannen en vele kostbaarheden uitweek en aankwam op de plaats, waar later Karthago stond. Toen Dido en de haren door de bewoners van die streek niet werden toegelaten, verzocht zij een stuk land ter kolonizeering, zoo groot als een runderhuid zou kunnen omspannen. De inwoners, dit verzoek belachelijk bescheiden vindende, wilden deze kleinigheid niet weigeren, en, benieuwd hoe de Tyriërs op zulk een klein terrein een stad zouden stichten en welke list achter het verzoek verborgen was, zeiden zij Dido onder eede het gevraagde toe. Nu sneden hare volgelingen de huid in reepen, maakten van die stukken één smallen riem en omvademden daarmede het terrein, waarop de burcht van Karthago onder den naam van Byrsa (leder) verrijzen zou.

Hoe kan het bij iemand opkomen, zal men vragen, eenigen samenhang te zoeken tusschen die twee legenden? Het eenige dat zij gemeen hebben is, dat in beide sprake is van een rund en van de stichting eener stad, die blijkt eene Tyrische kolonie te zijn geweest. Neemt men echter kennis van de wijze, waarop tegenwoordig de Betsjoeanen, een Kafferstam, te werk gaan, wanneer zij eene nieuwe nederzetting stichten [1]) en vergelijkt men h u n manier van doen met de beide boven medegedeelde legenden, dan wordt die samenhang aannemelijk. Als de Betsjoeanen nl. eene nieuwe stad willen stichten,

---

1) Willoughby, Notes on the Totemism of the Becwana, in: Journal Anthr. Inst. Gr. Britt. and Ireland, XXXV, p. 303 vlgg.

gaan zij op de volgende wijze te werk. Een stier wordt uit de kudde uitgezocht; zijne oogen worden met peezen toegenaaid. Daartoe gebruikt men niet, zooals gewoonlijk voor 't hechten, eene ijzeren els, maar eene naald, vervaardigd van 't hout eener bepaalde boomsoort. Zoo schrijft de ritus voor. Als de oogleden zijn samengehecht, laat men den stier vier dagen lang rondloopen, zonder op zijne bewegingen acht te slaan. Den vijfden dag volgt men zijn spoor, totdat men den stier vindt. Dan worden de benoodigde toovermiddelen klaargemaakt en met zonsondergang wordt de stier geslacht op de plaats, waar men hem heeft aangetroffen. Het dier wordt, na gevild te zijn, geheel gebraden, onder het volk verdeeld en ter plaatse genuttigd. Na het offermaal nemen de medicijnmannen de huid en merken ze met de vereischte tooverteekenen, waarop zij in reepen van één à twee voet wordt gesneden. Nu worden boodschappers in alle richtingen uitgezonden; ieder van hen moet een van deze reepen in den grond vastprikken en wel op de plaatsen, waar de paden toegang tot de nieuwe vestiging geven. Wanneer dan, zoo meenen zij, een vreemdeling de nieuwe stad nadert, om ze met zijne tooverij te vernietigen, dan zal hij bevinden, dat de stad zich op zijne komst heeft voorbereid.

Is het nu niet opvallend, dat het gebruik der Betsjoeanen óók wordt gevonden in de stichtingslegenden van Thebe en Karthago, en krijgt men niet den indruk, dat die twee legenden disjecta membra van één geheel zijn? De Betsjoeanen hebben tegenwoordig niet meer het rund als totem, doch sommige feiten wijzen nog op het hooge aanzien, waarin ook thans nog het rund bij hen staat. Zoo wordt bijv. bij het huwelijk het vetvlies (omentum), dat de ingewanden van het rund omgeeft, op de borst der bruid gelegd en de doode

wordt in zittende houding in een runderhuid ingenaaid. Wanneer nu vroeger, zooals zeer waarschijnlijk is, het rund de totem van den stam is geweest, dan plachten dus de Betsjoeanen eene nieuwe nederzetting te stichten op de plaats, door den totem-god zelven aangegeven en die nederzetting werd door den god zelven ingesloten: men woonde om zoo te zeggen, in den god zelven. De stichtingslegenden van Thebe en Karthago daarentegen missen, zooals ze tot ons gekomen zijn, allen zin: het lijken eenvoudig verhaaltjes. Wel is waar schijnt de legende van Karthago's stichting voldoende verklaard te kunnen worden, door aan te nemen, dat ze eenvoudig op woord-assonantie berust, daar de overeenstemming in klank tusschen *βύρσα* en het Phoenicische woord voor burcht (bosra of birtha) de legende kan hebben doen ontstaan. Het is evenwel zeer wel mogelijk dat dit een later gemaakte etymologische combinatie is, en dat de Phoeniciërs bij het stichten eener stad op dergelijke wijze te werk plachten te gaan als tegenwoordig de Betsjoeanen doen. Van dien Phoenicischen ritus zou dan de eerste helft bewaard kunnen zijn in 't verhaal van Thebe's, de laatste in dat van Karthago's stichting.

Ook de volgende overwegingen schijnen er voor te pleiten, dat het verhaal van Karthago's stichting eene strekking had, als boven bedoeld. Immers de in Africa aangekomen Tyriërs vragen een stuk grond, *ὅσον ἂν βύρσα ταύρου περιλάβοι*, zoo groot als een stierehuid zou kunnen omspannen, niet, zooals men zou verwachten, zoo groot als door een stierehuid zou kunnen bedekt worden [1]). Hier schijnt dus de eigenlijke zin van het oorspronkelijke gebruik als 't ware nog om een hoekje te kijken. Verder is door Servius (ad Aen. I. 443) overgeleverd, dat men, zoekend naar eene geschikte plaats voor

1) Vgl. ook de opmerking van v. d. Vliet op Aen. I. 367—368.

een tempel van Juno, eerst den kop van een rund opgroef, doch, daar dit geen voldoend gunstig omen scheen, elders groef, en daarop een paardekop vond, waarna op deze plaats de tempel gebouwd werd. Dit verhaal, dat klaarblijkelijk het latere wapenteeken van Karthago wil verklaren, maakt dus ook gewag van een stierekop en ook hierin zou men een punt van aanknooping kunnen vinden met een stichtingsritus overeenkomend met dien der Betsjoeanen.

Ik zou nu niet durven beweren, dat ook de Phoeniciërs, zooals dat voor de Betsjoeanen waarschijnlijk is, eens het rund, den stier, als totem hebben gehad, maar het valt althans niet te loochenen, dat bij de meeste volken van Semitischen oorsprong de stier in hoog aanzien gestaan heeft en vaak als god vereerd geworden is. Men denke in de eerste plaats aan Baal-Moloch der Phoeniciërs zelf en aan den stier van Phalaris; dan mag herinnerd worden aan de vereering van het gouden Kalf (d. w. z. van den jongen stier) door de tot afgoderij vervallen (misschien wel „teruggekeerde") Israëliten en ten slotte aan de benaming van Jahwe in 't oude testament, waarop mij de Hebraïci opmerkzaam maken: *abīr jaʿkūb*, hetgeen niets anders beteekent dan: „de Stier Jakobs".

DE VERBI MUTANDI USU APUD P. PAPINIUM STATIUM.

De verbi mutandi usu apud P. Papinium Statium.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Statium verbo mutandi creberrime delectatum esse, iam Petrus Burmannus ad Val. Fl. Argon. VI. 614 observavit, sed de variis notionibus quibus eo verbo usus est, apud neminem quidquam expositum inveni excepta brevi Vollmeri annotatiuncula ad Silv. IV. 8. 24, de qua mox videbimus. At tamen res dignissima est ad quam animum attendamus.

Significationem minus vulgarem distinguendi, inficiendi, maculandi apud Vergilium iam reperiri, apud Statium vero frequentem esse, in Mnemosynes Vol. XXXVI p. 61 nuper demonstravi allatis exemplis Verg. Ecl. 4. 44, Stat. Theb. VII. 71, IX. 257, 359, quibus haec duo addita iam velim: Theb. IX. 703: nondum mutatae rosea lanugine malae, et Silv. III. 3. 67: vixdum ora nova mutante iuventa, atque pro corrupta lectione *undabit* in Ach. I. 87 veram *mutabit* reponendam esse monui.

Nunc de ceteris notionibus pauca disputare lubet.

Sunt nimirum apud Statium plurimi loci, ubi verbi notio cuivis statim perspicua est, e. g. Ach. 1. 334, 907, Silv. III. 3. 144, 4. 75, 5. 27, Theb. IV. 78, 194, V. 722, VII. 559, 651, deinde VIII. 307: prima alimenta dedisti mutastique,

ut recte post Kohlmannum editores scribunt, III. 595: temptat Enceladus mutare latus, ubi sine causa Heinsius *motare* coniecit, Barthius *versare*, VI. 544: mutaturusque videtur bracchia (Leander sc.), ubi nihili sunt proposita Peyraredi *lentaturusque*, Baehrensii *motaturusque*, denique IX. 850: mutabat turmas, quocum loco conferre utile est Val. Fl. VI. 614: mutatque cruores (leo), Sil. It. V. 286: mutat successu saevior hostem, id. VI. 238: mutat hians hostem.

Mutatae rei si melior fit condicio, verbum idem valet quod reficere, emendare, quae significatio manifesta est Theb. II. 599: lasso mutata Pyracmone temnens fulmina, III. 311: haec mutare potestas nulla datur, XII. 490: vestes mutata sorte relictae. De illo autem loco pluribus me agere necesse est, quandoquidem Lachmanno auctore Kohlmann iniuria pro *mutata* recensuit: *motata*. At recte Lactantium interpretatum esse aio: 'refecta sive ad proelium renovata'; siquis dubitet, inspiciat Lucan. VII. 150:

Pallenaea Iovi mutavit fulmina Cyclops.

Ad quem locum recte Francken et alia dedit et haec: „Cum Gigantes coorti essent in deos, fornaces Cyclopum incaluerunt in reparando tridente, fulminibus renovandis (*mutavit*)". Ceterum cf. Theb. VIII. 656.

Sin vero deterior fit rei mutatae condicio, oritur notio imminuendi, atterendi, comminuendi. Quod si semel perspexeris, ridiculum fere videbitur verbum, ubicumque eo sensu poeta usus est, a criticis fideli concordia asteriscis saeptum aut coniecturis numerosis sollicitatum esse. Verum enimvero si fit ut locus variis propositis sine fine oppugnetur e quibus nullum umquam ita editoribus placuerit ut id in textum recipere ausi sint, plerumque ea ipsa de causa verisimile est, locum minime corruptela laborare, sed sive vocabuli significationem latere abstrusiorem sive loci

interpretationem solito magis reconditam. Iam locos percenseamus: ita hic factum apparebit. Ach. I. 676:

Iamque per Aegaeos ibat Laertia flexus
puppis et innumerae m u t a b a n t Cyclades auras.

Haec codices mss. exhibent ad unum omnes. At tamen Garrod de suo scripsit: et innumerae mutab*at* Cyclad*os* oras, addens fortasse scribendum esse: mutab*ant* sc. viri; Koestlin recensuit: innumer*as* mutabant Cyclad*as* aur*ae*, quem Klotz et Wilkins secuti sunt. Nihil tamen mutandum est, nam hoc poeta voluit: Iam ibi navis erat, ubi innumerae Cyclades vim ventorum infringebant, mare vento minus expositum efficiebant. Quicumque praeter litus occidens Scandinaviae navi umquam vectus erit, inter oram a dextra pertinentem atque insulas innumeras rupesque salebrosas a laeva sitas, statim quid poeta voluerit agnoscet neque amplius hunc locum suspectum habebit. Insuper cf. III. 437: dubiae motis radicibus obstant Cyclades, sc. ventis a Neptuno ex Aeoli carcere dimissis marique Aegaeo iniectis, Ach. I. 204: placet ire per altas Cycladas, 390: interque vadosas Cycladas, Aegaeae frangunt ubi saxa procellae, 530: video per Cycladas altas e. q. s. Transeo nunc ad Theb. XI. 521:

ut nocte rates, quas nubilus Auster
implicuit, frangunt tonsas m u t a n t que rudentes, e. q. s.

Praesto sunt coniecturae Barthii *mutilantque*, Slateri *miscentque*, Wilkinsii *nectuntque*, sed rursus nil opus est, nam *mutant* idem est quod frangunt sive comminuunt: male igitur scholiasta explicat 'm i s c e n t'. Iam vero duo sequuntur loci, qui ab asteriscis atque coniecturis hucusque liberi manserunt, cuius rei causa mox patebit; prior est Theb. VII. 206:

meaque est iactura pigetque
tot m u t a r e animas, tot reddere corpora vitae.

Verbum hoc loco salvum abiisse suspicor propterea quod

Barthii explicatio hucusque omnibus placuerit: „mutare h. e. in alia corpora mittere ex aliis." At ista interpretatio vera esse nequit, quin etiam sententiae contextae orationis quam maxime contraria est. Qui totum locum diligenter perlegerit, totam Iovis querelam de iactura mortalium, quam novo bello facturus sit, neque de metempsychosi hoc loco cogitandum esse mox perspiciet; immo vero quale damnum esse posset, si interfectorum animi in nova corpora identidem mitterentur? Ne multa, verbum *mutare* hic quoque ea notione positum est quam supra indicavi, sed legendum est:

tot mutare animas, tot reddere corpora Diti.

Cf. I. 615 sq.: sua monstra profundo reddit habere Iovi, IV. 291: et Pheneos nigro Styga mittere credita Diti, VII. 697, 782, VIII. 248, 324.

Altero quoque loco verbum pravae interpretationi salutem debere suspicor. Est autem Theb. XII. 657:

Icta gemit tellus, viridis gravis ungula campos
mutat, e. q. s.

Ut verbum hic integrum permanserit, inde factum credo, quod de inficiendi, maculandi notione, de graminis colore immutato critici cogitaverint, — perperam, nam herbae proculcatae non statim, sed post aliquantum temporis demum colorem mutant, atque tam verba praecedentia *icta gemit tellus* quam sequentia *exspirat protritus ager* scholiastae interpretationem 'atterit' unice veram esse comprobant nec non Theb. V. 441: (Hylas) audet iter magnique sequens vestigia mutat Herculis. Loco, quem ultimum affero, verbum rursus videmus suis circumvallatum crucibus, atque sane intricatior quaestio est. Legitur Theb. II. 671:

clipeum nec sustinet umbo
mutatum spoliis, gelidus cadit imber anhelo
pectore, e. q. s.

De hoc loco duos viros doctos sententias dixisse video. Vollmer ad Silv. IV. 8. 24: 'stet domus et donis numquam mutata sacratis' observavit: „*mutata* ist richtig (Markland enim *nudata* ex coniectura scripserat); das Verbum bezeichnet bei St. verschiedentlich die Veränderung durch Verlust des im Ablativ zugesetzten Gegenstandes, s. Theb. II. 671 *clipeum . . . mutatum spoliis* (der durch zahlreichen Speerwürfe fast seines Leders beraubt war), IX. 703 *nondum mutatae roseae lanugine malae,* vgl. auch VII. 559."

Vollmero plane assentior, lectionem in Silva vexandam non esse, quamquam aliter locum interpretandum esse arbitror: verbum *mutata* eodem sensu accipio quo positum est locis supra allatis, id quod oppositum *stet* quoque suadet, et *donis sacratis* ablativum partis qui dicitur esse opinor. Sed hunc nunc mitto ut ad locum nostrum redeam, quem et ipsum Vollmer tangit. Vocabulo autem *spoliis* non clipei coria significari, sed spicula quae clipeus exceperat, semper credidi atque etiamnunc credo. Cf. Serv. ad. Aen. VIII. 202: „spolium est quidquid de hostibus tollitur". Argumenta mea exponam. Iam vs. 603 legimus:

interdum trepidis occurrit et instat
spicula devellens, clipeo quae plurima toto
fixa tremunt armantque virum.

Accedit quod vs. 682 sequitur:

Ille etiam Thebas spoliis et sanguine plenus isset.

Nonne igitur mirum esset, si poeta intra tam paucorum versuum spatium eodem vocabulo usus esset notionibus tam diversis? Praecipue vero cf. VIII. 700—5.

Cum igitur semper ita locum interpretandum esse mihi persuasum esset, Fr Duebnerum, qui Statii opera cum notis aliorum et suis satis exilibus a. 1837 Lipsiae edidit, haud aliter censuisse deprehendi, cuius sententiam honoris causa

describo: „Male *umbo* explicant humerus, bracchium aut manus, quia de quaque prominentia dicatur. In umbonem coeunt laminae clypei; quare is recte dicitur *sustinere* clypeum; *spolia* autem appellare videtur hastas hostium clypeo infixas. Sententia igitur haec est: Iam defatigatus tarde progreditur, tarde ferit, neque amplius usui est ei clypeus usquequaque perforatus et lanceis adversis onustus."

Iam tandem Garrodum verba *mutatum spoliis* iniuria crucibus cinxisse, Lachmannum *nutantem*, Madvigium *mulctatum*, alios alia frustra coniecisse, una me satis comprobasse confido. Quod ad IX. 703 et VII. 559 attinet, quos locos cum nostro Vollmer conferri iubet, illic verbum notionem inficiendi exhibere neque Vollmeri coniectura *roseae* neque Kohlmanni *mutata roseae* opus esse — hic verbum vulgari significatione positum esse, neutrum igitur huc quidquam pertinere, supra iam monui.

Quoniam igitur notio imminuendi, atterendi, comminuendi apud Statium iam constat, non modo pro mutandi verbo tot locis poetae aliud verbum non iam obtrudendum est, sed etiam verbum reponere licet ubi, male lectum intellectumve cum esset aut alio quodam verbo illustratum, sive librariorum ignorantia corruptum sive incuria glossae locum cedere coactum est. Veluti de silva quadam vetusta dicitur Theb. IV. 421:

haud illam brumae m i n u e r e, Notusve
ius habet aut Getica Boreas impactus ab Ursa.

Garrod ad hunc locum annotavit: „*minuere* vix ferri potest: *minuisse* Peyraredus. Sed *minuĕre* glossa est, fortasse *libare*".

Corrupta lectio utrum e glossa nata sit an pro mendo librarii habenda, vix diiudicari nunc potest, sed quicumque hanc disputatiunculam cum animi attentione perlegerit, Statio suum continuo restituet, scilicet: m u t a r e.

AD LIBANIUM.

Ad Libanium.

SCRIPSIT

A. J. EGELIE.

Quod paucis contingit, clarissime Nabere, ut et ad summam senectutem perveniant et iuvenilem quendam animi corporisque vigorem conservent, id Tibi contingere, ut ceteri omnes qui Te colunt atque amant, magnopere gaudeo Tibique hunc diem, qui primus Te vidit octogenarium, ex animi sententia gratulor. Neque vero nunc gratulari Tibi possum, optime Magister, quin simul profitear grato animo me semper recordari semperque recordaturum esse illud tempus, cum scholis Tuis intereram. Et quoniam nova hodie pro Tua felicitate vota nuncupare fas est, faxit Deus, ut qualem Te per hoc decenne otium vidimus, animo alacrem, corpore vegetum, ipso labore senectutem sustentantem, talis per multos etiam annos, incolumis inter incolumes Tuos, degere possis. Hoce autem munusculum, ex cuius tenuitate quanti Te faciam nolim existimes, benevolo quaeso animo accipias.

Conscripseram aliquid de miro quodam errore, qui erat in Libanii de templo Apollinis Daphnaei monodia (LXI R.), cum ad me pervenit quartum Foersteri volumen, nuperrime editum. Vitium, id quod minime mirabar, sublatum erat.

Cum tamen initio non tam emendationem in medium proferre — in promptu enim erat emendatio — quam erroris originem, satis notabilem, indicare voluissem, hoc quidem consilium mutandum non putavi; prius tamen pauca de ipsa huius oratiunculae editione novissima dicenda sunt.

Est haec oratiuncula, quae permultis codicibus ad nostram aetatem pervenit, tota transcripta ex S. Ioannis Chrysostomi, ipsius Libanii quondam discipuli, oratione quae vulgo inscribitur de Sancto Babyla contra Iulianum et Gentiles, viginti fere annis post magistri monodiam conscripta. Ex qua oratione quamquam luce clarius apparet Chrysostomum particulatim Libanii orationem afferre multaque omittere, tamen codices Libaniani, uno excepto Escurialensi (cf. Foerst. IV p. 300), omnia haec frustula coniuncta exhibent; omnes, etiam Escurialensis, omittunt fragmentum quod a Chrysostomo extra ordinem affertur (fr. 2 apud F.). Reiskius, qui Chrysostomum non videtur potuisse inspicere, codices Libanianos secutus, coniuncte omnia edidit; uno tantum loco aliquid odoratus est; fragmentum in codicibus omissum similiter omisit. Quae omnia in praestantissima Foersteri editione, uti expectare licebat, correcta sunt: lacunae indicatae, fragmentis numeri additi, omissum illud fragmentum suo loco repositum, praeterea omnia egregie illustrata. Ex triginta quinque autem codicibus septendecim aut contulit aut inspexit aut ab aliis viris doctis conferendos curavit. Haec praemittenda videbantur, ne si in tali editione aliquid desiderare me dicerem, difficilior viderer. Quod in praefatione vir clarissimus scribit sibi operae pretium visum non esse Chrysostomi codices denuo conferre vel novos adire, existimari vix potest, sitne hoc cum aliquo huius editionis damno omissum; certe in tantula re tantum opus vix quisquam postulaverit. Editiones autem adhibuit Savilii (Etonae 1612), Frontonis Ducaei (Francof. 1698), Montefalconis,

quae primum edita est annis 1718—1738 et saepius deinde iterata; huius textum Patrologia Graeca Migniana quoque praebet. Ne cui tamen magnum Montefalconis nomen imponat, hic afferam, quod Chr. Baur v. d., ipse quoque ordinis S. Benedicti monachus, de hac editione scripsit (S. Jean Chrysostome et ses oeuvres dans l'histoire littéraire. 1907; p. 86): „Il semble bien que Montfaucon ait entrepris le travail un peu malgré lui, et qu'il ait abandonné la tâche principale à ses jeunes collaborateurs sans exercer un contrôle très sévère". Deinde mirae incuriae exempla affert. Quo magis miror Foersterum Duebneri editionem operum selectorum (Didot, 1861) non adhibuisse. In qua editione multa quidem desiderantur, sed tamen haud pauca Duebnerus correxit et, ut in Adnotatione Critica p. 10 scribit, ad hanc orationem duos codices Parisienses contulit, unum saeculi XI, alterum XII, cum nullus codex Libanianus saeculo XIII exeunte sit vetustior.

Ordine nonnullos locos tractabo. Omitto leviora, ut quod lectio *καὶ ταῦτα ἐν λίθῳ*, quam Foersterus dubitanter proponit (p. 319, 1), — bene fecit quod non in textum admisit — iam olim a Boisio (in Saviliana ut videtur) commendata, a Duebnero in textum recepta est. Fortasse minus leve est, quod pro forma *βοῦς* (p. 314, 7: *νῦν δὲ μετὰ πολλὰ μὲν πρόβατα, πολλοὺς δὲ βοῦς*) Duebnerus habet *βόας*, cum paulo infra (Chrys. p. 567 B; cf. Foest. p. 314 in app. crit.), ubi Chrysostomus paulo liberius Libanii verba repetit, et ubi praeterea hic accusativus recurrit, alteram formam praebeat. Non mirer equidem, si Libanius, quamvis formas atticas sectaretur, formam *βόας*, quae posterioribus Graecis cum antiquis poetis esset communis, adhibuerit, quod verba *πολλοὺς δὲ βοῦς* auribus minus gratae essent.

Gravius mihi videtur, quod Duebnerus observavit ad verba, quae leguntur p. 319, 7: *καὶ στένδειν ἀπὸ τῆς χρυσῆς*

κυάθου. Haec verba Duebnerus in textu corruptelae signo notavit; in adnotatione critica autem scripsit: „κυάθου omnes, etiam ed. Liban., cuius generis exemplum non affertur; φιάλης (φιάλην volebat) supra p. 245, 20" (= F. 317, 11).

Vocem κύαθος feminino genere a Libanio usurpari potuisse iure Duebnerus negare mihi videtur, nec mirer si hic faciendum sit, quod factu est facillimum, corrigere: τοῦ χρυσοῦ κυάθου.

Vitium ortum esse potest ex verbis τῆς χρυσῆς φιάλης primum in margine adscriptis, deinde in textum illatis, postremo ita correctis ut pro φιάλης vera lectio κυάθου restitueretur, reliqua manerent. Variandi autem sermonis causa Libanius censendus est hoc loco minus accurate dixisse κύαθον id quod supra dixerat φιάλην.

P. 320, 5: ὁ δὲ τῶν ἀνδρῶν ὄμιλος περιειστήκεσαν ὀλοφυρόμενοι μὲν, βοηθεῖν δὲ ἀποροῦντες. Verba τῶν ἀνδρῶν et vocula μὲν desunt in Chrysostomi libris; Duebnerus, ut ceteri Chrysostomi editores, ea omisit; verba τῶν ἀνδρῶν in Libanii codicibus interpolata esse suspicatur propter id quod sequitur paulo infra, p. 320, 12: δαιμόνων μυρίων ὄμιλος. Recte quoque idem omisisse mihi videtur vocalem μέν, quae hoc loco facilius interpolatur quam omittitur. Praeterea post vocem ὄμιλος habet εἰκῇ et adnotat: „εἰκῇ scripsi; uterque codex meus ἐν ᾗ, editi vero (sc. Chrys.) ὁμοῦ, sine varietate, manifesta quidem interpolatione; omissum in ed. Liban." De litteris ἐν ᾗ silent editores Montefalconianae, a quibus tamen duos illos Duebneri codices Parisienses adhibitos esse, adhiberi certe potuisse, credibile est. De codicibus, quibus usi sunt, hoc tantum habent: „Contulimus Codices Reg. 1673, 2343, 2447, et Colb. 974, 2443". Duebnerus autem ne numeros quidem addidit.

Quid in literis ἐν ᾗ lateat, non video; εἰκῇ tamen non valde placet, coniunctum cum verbis standi et lamentandi; non

prorsus idem est atque „frustra"; sed quod sine consilio, quod temere ideoque frustra fit, id recte εἰκῇ fieri dicitur. Hic si tale quid addere voluisset Libanius, dixisset ἄλλως.

Dolendum denique est quod in hac accuratissima editione mero errore vocula ὅσιον intercidit p. 314, 7: στόμα βασιλέως ⟨ὅσιον⟩ τῷ ποδὶ δεξάμενος. Legitur in omnibus Libanii et Chrysostomi libris. — Operae pretium est hic videre in Foersteri apparatu critico, quid sibi librarii interdum, non dico in margine, sed in ipso textu licere putaverint. In quodam codice Laurentiano enim legitur: στόμα τυράννου ἀνόσιον. Idem ille nugator paulo infra pro πονηροῦ γειτονήματος (corpus S. Babylae significatur) scripsit: ἀγαθοῦ γειτονήματος, et pro ὦ ψυχῆς μιαρᾶς (incendiarii): ὦ ψυχῆς καθαρᾶς.

Venio nunc ad illum errorem, quem supra significavi. In Libanii editione Reiskiana (III p. 334, 11) et in Chrysostomi editionibus (p. 569 A; Duebn. p. 245) legitur: Ὦ δεξιᾶς τελχῖνος, ὦ πυρὸς ἀδίκου. ποῦ ποτε ἄρα τὸ πρῶτον ἔπεσε; τί τοῦ κακοῦ τὸ προοίμιον; ἆρα ἐξ ὀροφῆς ἀρξάμενον ἐπὶ τἄλλα προὔβη, τὴν κεφαλὴν ἐκείνην, τὸ πρόσωπον, τὴν φιάλην, τὴν κίδαριν, τὸν ποδήρη χιτῶνα;

Foersterus p. 317 pro κίδαριν scripsit κιθάραν; in apparatu critico video O. Muellerum (Ant. Antioch. p. 47) iam proposuisse κίθαριν, quam formam poeticam equidem propter ipsam corruptelae naturam veri similiorem duco; praeterea video fuisse qui κίδαριν confirmari putarent nummo aliquo Antiocheno. At, quidquid unquam Apollo in capite gestavit, ex ipso ordine quo varias deinceps simulacri partes orator persequitur apparet hoc loco citharae tantum mentionem fieri posse. Primum enim caput dicit et faciem dei, quae prima flammis correpta erant; (cf. p. 320: δοκοὶ δὲ ἐφέροντο κάτω φέρουσαι πῦρ, ὅτῳ πελάσειαν

φθείρουσαι, τὸν Ἀπόλλω μὲν εὐθὺς ἅτε καὶ μικρὸν διέχοντα τοῦ στέγους), tum transit ad pateram, quam deus dextra manu tenebat. Iam fieri non potest, ut rursus ad caput redeat vel aliquod capitis insigne, sed post dextram manum necessario sinistra dicenda erit, quae citharam tenebat. Cf. p. 319, 4: ἐῴκει γὰρ ᾄδοντι μέλος. καί που τις αὐτοῦ καὶ ἤκουσεν, ὥς φασιν, ἐν μεσημβρίᾳ κιθαρίζοντος. τὸ δὲ ᾆσμα ἄρα ἦν ἔπαινος τῆς γῆς. ᾗ μοι φαίνεται καὶ σπένδειν ἀπὸ τῆς χρυσῆς κυάθου, ὅτι τὴν κόρην ἔκρυψε βαγεῖσά τε καὶ συνελθοῦσα. (De Apolline citharoedo pateram tenente conferri potest e. g. Roscher Lex. Myth. s. v. Apollon p. 459, 22 et in primis p. 464, 14; Baumeister Denkm. I p. 97).

Causa autem erroris, ni fallor, fuit haec. Monachos Graecos, in primis siqui erat in Chrysostomi operibus describendis occupatus, sancti huius viri opus unum omnium celeberrimum, libros de Sacerdotio dico, sedulo lectitasse credibile est. Iam vero τοῦ ποδήρους χιτῶνος statim post τὴν κίθαριν mentione factum esse videtur, ut unus ex his piis librariis, cum orationem de Sancto Babyla contra Iulianum describeret et ad haec verba pervenisset, incommode reminisceretur nobilissimi in libris de Sacerdotio loci, ubi verba ἡ κίδαρις et ὁ ποδήρης similiter iunguntur. Locus est in libro III p. 382 C: Φοβερὰ μὲν γὰρ καὶ φρικωδέστατα καὶ τὰ πρὸ τῆς χάριτος, οἷον οἱ κώδωνες, οἱ ῥοῖσκοι, οἱ λίθοι οἱ ἐπὶ τοῦ στήθους, οἱ τῆς ἐπωμίδος, ἡ μίτρα, ἡ κίδαρις, ὁ ποδήρης, τὸ πέταλον τὸ χρυσοῦν, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἡ πολλὴ τῶν ἔνδον ἠρεμία. Cf. 2 M. 28, 4: Καὶ αὗται αἱ στολαί, ἃς ποιήσουσι· τὸ περιστήθιον καὶ τὴν ἐπωμίδα καὶ τὸν ποδήρη, καὶ χιτῶνα κοσυμβωτόν, καὶ κίδαριν, καὶ ζώνην.

Erroris causa reperta neminem posthac fore puto qui Aāronis tiaram Apollini vindicare velit.

DE SOCRATIS APOLOGIA PLATONICA.

De Socratis Apologia Platonica.

SCRIPSIT

J. M. FRAENKEL.

Ingenuarum artium fideliter cultarum non primus quidem sed fortasse iucundissimus est hic fructus, quem proverbio nostrates demonstrant: ‚Kunst baart gunst.' Non solum discipuli tui te, vir clarissime Naber, praeceptorem suum laudant veneranturque, quibus doctrina et monitis litterarum campum patefecisti, sed scriptis tuis nos discipulos fecisti extraneos; multis tu prospexisti, sed multo pluribus salus tua cordi est. Itaque honori tuo augendo cum hic dies ab amicis tuis statutus sit, me quoque in numerum salutantium admittas rogo.

Fuit tempus quo mihi non persuaserit Martini Schanzii sententia de Apologiae Platonicae indole, tamquam minime orationis re vera habitae imaginem reddentis sed alio consilio compositae et a veritate historica quam aiunt longe remotae. Meditationem Platonis non verba Socratis contineri Apologia nostra demonstrare ille studuit. Cuius argumenta ut tunc infirmiora mihi videbantur, ita ne nunc quidem ad tantam rem probandam satis valere per se spectata puto; ceterum dies diem docet, quamque opinionem olim impugnandam existimavi, eam adhibitis firmioribus (ut mihi videtur) argumentis et quibus etiam quaedam quae ille attulit confirmantur, defensurus sum.

Ex argumentis Schanzii alia infra tractabo; sunt quae

statim reicias. Nam quod dicit Apologiam legitimam defensionis formam non praebere, id non impedit quominus Socratis ipsius sermonem ea contineri fateamur, quem non usitato modo causam egisse nec omnino ut absolveretur studuisse constat. Quod vero ordinem orationis tali artificio institutum esse ait ut ex tempore habita esse non possit, cum tamen Socratem non meditata oratione usum esse certum sit — in discernendo quid in dicendo ex tempore homines consequi possint quid non, trahit sua quemque voluptas neque ad consensum perducere dubitantes facile fuerit.

Sed ut dixi, sunt alia quae Schanzii sententiam corroborant. Primum reperiuntur contradictiones quaedam quae in Socrate perorante multo offendant magis quam si libellum cogitemus Platonis stylo exaratum. Nam qui memoriter verba facit orator si sibi constanter non loquitur, statim fidem sibi ipse detrahat; in scriptore autem talia facile condonantur: ille enim facta tradit mera, sine discrepantiis ponenda, hic cursum narrationis sequens in singulis tamen partibus liberius versatur, cum maius agitet consilium. Dicit Socrates p. 23 B quominus rem publicam capessat impedimento esse officium a deo tibi mandatum examinandi homines „*ὑπὸ ταύτης τῆς ἀσχολίας οὔτε τι τῶν τῆς πόλεως πρᾶξαί μοι* [σχολὴ?] *γέγονεν ἄξιον λόγου οὔτε τῶν οἰκείων*", p. 31 D *τὸ δαιμόνιον* (*σημεῖον*) removere se a republica administranda perhibet „*τοῦτο* (scil. *τὸ δαιμόνιον*) *ἔστιν ὅ μοι ἐναντιοῦται τὰ πολιτικὰ πράττειν*". Oraculum Chaerephonti redditum unicam laborum suorum causam affert p. 23 B „*ταῦτ' οὖν ἐγὼ μὲν ἔτι καὶ νῦν περιιὼν ζητῶ καὶ ἐρευνῶ κατὰ τὸν θεόν*"· latius autem loquitur p. 33 C „*ἐμοὶ δὲ τοῦτο, ὡς ἐγώ φημι, προστέτακται ὑπὸ τοῦ θεοῦ πράττειν καὶ ἐκ μαντείων καὶ ἐξ ἐνυπνίων καὶ παντὶ τρόπῳ*". Habes p. 31 E „*οὐ γὰρ ἔστιν ὅστις ἀνθρώπων σωθήσεται οὔτε ὑμῖν οὔτε ἄλλῳ πλήθει οὐδενὶ γνησίως ἐναντιούμενος*". Sententia fusius ex-

plicatur in dialogo Gorgia; hic autem eam illustrat Socrates non solum eo quod sibi in imperio populari acciderit circa damnationem illam τῶν δέκα στρατηγῶν, sed minus apte quidem eodem flectit quod periculum sibi ab XXX viris factum sit p. 33 C. Postremo p. 34 B iuniorum corruptionis crimen eo refellitur quod illi ipsi eorumque propinqui ipsius conservandi causa in iudicium prodierint; at p. 37 E dicit se timere, si aliis in civitatibus munus suum persequatur, ne a parentibus propinquisque auditorum iterum expellatur: „ἐὰν δὲ μὴ ἀπελαύνω (scil. τοὺς νεωτέρους), οἱ τούτων πατέρες τε καὶ οἰκεῖοι (ἐμὲ ἐξελῶσι) δι' αὐτοὺς τούτους".

Sed haec fortasse leviora videbuntur, quamquam scriptori Platoni pugnantia secum facilius condonari quam ut a Socrate causam dicente profecta intellegi possunt. Multo tamen plus mihi valet argumentum deducendum ex locis Platonicis parallelis, quos iam enumerabo.

I. p. 18 C οἱ γὰρ ἀκούοντες ἡγοῦνται τοὺς ταῦτα (i. e. τὰ μετέωρα) ζητοῦντας οὐδὲ θεοὺς νομίζειν cf. Leg. p. 967 A οἱ μὲν γὰρ διανοοῦνται τοὺς τὰ τοιαῦτα μεταχειρισαμένους ἀστρονομίᾳ τε καὶ ταῖς μετὰ ταύτης ἀναγκαίαις ἄλλαις τέχναις ἀθέους γίγνεσθαι.

II. p. 20 A (τοὺς νέους) πείθουσι (scil. sophistae) .... σφίσιν ξυνεῖναι χρήματα διδόντας καὶ χάριν προσειδέναι (locus in Theage p. 128 A ad verbum paene iteratus);

cf. Cratyl. p. 391 B Ὀρθοτάτη .. τῆς σκέψεως, ὦ ἑταῖρε, μετὰ τῶν ἐπισταμένων, χρήματα ἐκείνοις τελοῦντα καὶ χάριτας κατατιθέμενον. Εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ σοφισταί, οἵσπερ καὶ ὁ ἀδελφός σου Καλλίας πολλὰ τελέσας χρήματα σοφὸς δοκεῖ εἶναι. Etiam in Apologiae loco sequitur Calliae mentio. Porro conferenda in Protagora p. 316 C ξένον γὰρ ἄνδρα καὶ κατιόντα εἰς πόλεις μεγάλας καὶ ἐν ταύταις πείθοντα τῶν νέων τοὺς βελτίστους ἀπολιπόντας τὰς τῶν ἄλλων συνουσίας ... ἑαυτῷ συνεῖναι ... χρὴ εὐλαβεῖσθαι τὸν ταῦτα πράττοντα.

III. p. 22 C ὥσπερ οἱ θεομάντεις καὶ οἱ χρησμῳδοί· καὶ γὰρ οὗτοι λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλά, ἴσασιν δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσιν.

cf. Meno, p. 99 C οὐδὲν διαφερόντως ἔχοντες (scil. οἱ πολιτικοὶ ἄνδρες) πρὸς τὸ φρονεῖν ἢ οἱ χρησμῳδοί τε καὶ οἱ θεομάντεις· καὶ γὰρ οὗτοι λέγουσι μὲν ἀληθῆ καὶ πολλά, ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσιν.

IV. p. 29 A οἶδε μὲν γὰρ οὐδεὶς τὸν θάνατον, οὐδ' εἰ τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ πάντων μέγιστον ὂν τῶν ἀγαθῶν cf. Leg. p. 727 D διδάσκων τε καὶ ἐλέγχων, ὡς οὐκ οἶδεν οὐδ' εἰ τἀναντία πέφυκε μέγιστα εἶναι πάντων ἀγαθῶν ἡμῖν τὰ περὶ τοὺς θεοὺς τοὺς ἐκεῖ.

Nolo adducere aut

ad 17 B κεκαλλιεπημένους . . . λόγους Hipparch. 225 C τῶν σοφῶν ῥημάτων . . . ὧν οἱ δεξιοὶ περὶ τὰς δίκας καλλιεποῦνται

ad 22 B ἵν' ἅμα τι καὶ μανθάνοιμι παρ' αὐτῶν Erast. 132 D ἵνα καὶ εἴ τι δυναίμην παρ' αὐτοῦ (scil. τοῦ μουσικοῦ) ὠφεληθείην·

ad 27 D εἰ δ'αὖ οἱ δαίμονες θεῶν παῖδές εἰσι νόθοι τινές Epinom. 986 B μηδεὶς . . . νομίσῃ πάντων ἡμῶν, ὡς οἱ μὲν θεοί εἰσιν αὐτῶν, οἱ δ' οὔ, μηδ' ὡς οἱ μὲν γνήσιοι, οἱ δὲ τοιοῦτοί τινες, οἵους οὐδὲ θέμις εἰπεῖν ἡμῶν οὐδενί

aut

ad 23 A οἴονται γὰρ ἑκάστοθ' οἱ παρόντες ταῦτ' αὐτὸν εἶναι σοφόν, ἂν ἄλλον ἐξελέγξω Menon. 80 C οὐ γὰρ εὐπορῶν αὐτὸς τοὺς ἄλλους ποιῶ ἀπορεῖν, ἀλλὰ παντὸς μᾶλλον αὐτὸς ἀπορῶν οὕτως καὶ τοὺς ἄλλους ποιῶ ἀπορεῖν

ad 37 D ἄλλοι δ' ἄρ' αὐτὰς (scil. τὰς ἐμὰς διατριβάς) οἴσουσι ῥᾳδίως; πολλοῦ γε δεῖ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι Menon. 80 B καί μοι δοκεῖς εὖ βουλεύεσθαι οὐκ ἐκπλέων ἐνθένδε οὐδ' ἀποδημῶν· εἰ γὰρ ξένος ἐν ἄλλῃ πόλει τοιαῦτα ποιοῖς, τάχ' ἂν ὡς γόης ἀπαχθείης

ad 38 E οὔτε νῦν μοι μεταμέλει οὕτως ἀπολογησαμένῳ, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον αἱροῦμαι ὧδε ἀπολογησάμενος τεθνάναι ἢ ἐκείνως ζῆν Gorg. 522 D εἰ δὲ κολακικῆς ῥητορείας ἐνδείᾳ τελευτῴην ἐγώγε, εὖ οἶδ' ὅτι ῥᾳδίως ἴδοις ἄν με φέροντα τὸν θάνατον,

quia partim in dubiis spuriisve dialogis imitatio obvia, partim

sententia sola eadem est, verba mutantur. Notandum tamen in Gorgia dialogo de Socratis iudicio id ipsum imagine propositum esse quod velut reapse in Apologia agatur. Quo fit ut cum Gorgias dialogus ex Apologia explicatur, etiam ipsum ad Apologiam plene intellegendam adhibere necesse sit.

Omissis igitur his aliisque similibus locis examinemus diligentius quos supra numeris distinxi. Qui fieri potuit ut quae Socrates in defensione dixisset, in dialogis Plato repetivisset? Cum praesertim non doctrinae alicuius philosophicae particulae iis demonstrentur, sed potius iocorum vice fungantur imprimis quae de sophistis deque vaticinis dicit nec vero magni ponderis sint. Platonem ea dicta ex oratione magistri memoriae infixisse et ad verbum in propriis scriptis postea expressisse non est credibile. Itaque a Socrate Plato haec mutuatus non est; ergo obtrusit sua illi et quasi interpolavit chartam ceteroqui mere Socraticam? Minime. Sunt enim ea, quae a sequentibus separari non possint, ut non nexus sententiarum solvatur et totus compositionis ordo perturbetur. Quodsi hi loci uni Platoni debentur, in reliquis una cum iis non Socratem orantem sed Platonem scribentem cogitare nos necesse est.

Hoc est secundum argumentum, ut mihi quidem videtur, firmissimum; tertium sumo ex loco de Eueno sophista p. 20 A B C. Repetitur eius viri mentio Phaedr. 267 A Phaed. 60 D. Si meminerimus verborum quae sunt apud Demosthenem in Timocratea (§ 132): „*ἀηδὲς μὲν οὖν ἴσως ἐστὶν ὀνομαστὶ περὶ τινῶν μεμνῆσθαι, ἀναγκαῖον δὲ παρεξετάσαι αὐτοὺς παρὰ τούτους*" vel quae sunt in Apologia ipsa p. 21 C „*διασκοπῶν οὖν τοῦτον — ὀνόματι γὰρ οὐδὲν δέομαι λέγειν·*" parum probabile videbitur sine necessitate a Socrate apud iudices aequalis hominis mentionem esse illatam *non* honoris causa. Contra in Eueni persona inducta nexum quendam constitui inter Apologiae et Phaedonis locos video, quamquam quid

utrobique spectetur me quidem latet. Verum in Apologia mentio Eueni post claros illos sophistas Gorgiam Prodicum Hippiam facta minus apte quam in Phaedone, ubi sermo ab illo initium capit. Utut est, a Socrate causam dicente locus de Eueno omnino alienus est.

Quartum autem argumentum maximi quidem ponderis non nisi obiter mihi indicandum est, ne nimis materia crescat. Multi sunt in Apologia ex philosophia Platonica loci qui sine demonstratione nudi ponuntur tamquam per se omnibus noti et probati; qui tamen sic demum recte intelleguntur si ceterorum librorum doctrina Platonica illustrantur. Ex quibus haec specimina sint. Socratem examinantem politicos poetas opifices inde a p. 21 C videmus: qua ratione illi succumbant nemo perspicit nisi naturam τοῦ Σωκρατικοῦ ἐλέγχου perspectam habet, quae demonstratur in Sophista 230 B „Διερωτῶσιν ὧν ἂν οἴηταί τις τι πέρι λέγειν λέγων μηδέν· εἶθ' ἅτε πλανωμένων τὰς δόξας ῥᾳδίως ἐξετάζουσι καὶ συνάγοντες δὴ τοῖς λόγοις εἰς ταὐτὸν τιθέασι παρ' ἀλλήλας, τιθέντες δὲ ἐπιδεικνύουσιν αὐτὰς ἑαυταῖς ἅμα περὶ τῶν αὐτῶν πρὸς τὰ αὐτὰ κατὰ ταὐτὰ ἐναντίας. Οἱ δ' ὁρῶντες ἑαυτοῖς μὲν χαλεπαίνουσι, πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους ἡμεροῦνται, καὶ τούτῳ δὴ τῷ τρόπῳ τῶν περὶ αὐτοὺς μεγάλων καὶ σκληρῶν δοξῶν ἀπαλλάττονται πασῶν ἀπαλλαγῶν ἀκούειν τε ἡδίστην καὶ τῷ πάσχοντι βεβαιότατα γιγνομένην." Quod p. 29 D a Meleto postulat Socrates ut fautorem iuventutis iudicibus monstret qui corruptorem monstraverit — in hac postulatione doctrinam reprehendis docentis τῶν ἐναντίων τὴν αὐτὴν γνῶσιν esse cf. Charm. 166 E Phaedon 97 D et imprimis Hippias Minor 367. Verba p. 25 E τοῦτο τὸ τοσοῦτο κακὸν ἐκὼν ποιῶ, ὡς Φῄς σύ; et p. 32 A ἰδιωτεύειν ἀλλὰ μὴ δημοσιεύειν sententiarum quae in Gorgia demonstrantur admonent; idem dialogus utique necessarius cognitu ad explicandos locos p. 30 D οὐ γὰρ οἶμαι θεμιτὸν εἶναι ἀμείνονι ἀνδρὶ ὑπὸ χείρονος βλάπτεσθαι et p. 41 D οὐκ ἔστιν

ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν οὔτε ζῶντι οὔτε τελευτήσαντι, οὐδ' ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα. Plura sunt, sed haec sufficiant ad probandum artius vinculum esse inter ceteros dialogos et Apologiam quam ut in illis Platonis mentem, in hac Socratis verba agnoscamus. Nec quicquam horum in Xenophontis Apologia, quae ipsa quoque orantem Socratem inducit, reperiri mirabile iam non videbitur.

Haec argumenta (quod in verbis Socratis secum pugnantia offenduntur, quod ex iis quaedam in aliis dialogis iterantur, quod locus de Eueno a defensione alienus est, quod sunt quibus ex reliquis libris Platonicis lux afferenda sit) multo certius id quod Schanz voluit mihi videntur efficere, in Apologia non aliter atque in aliis dialogis personatum Socratem induci. Schanzii enim argumenta partim quam debilia sint supra indicavi; restat ut tria ab eo prolata novis observationibus firmemus.

Dixit ille mirum esse quod Socrates ad iudices appellandos semper utatur formula: *ὦ ἄνδρες* (*Ἀθηναῖοι*), numquam *ὦ ἄνδρες δικασταί* nisi uno loco (40 A) ubi post damnationem iudices qui se absolverint hoc nomine dignetur. In eo autem artificium reprehendit inventionis, quod ab oratione subita maxime abhorreat. Respondi olim non minus in Demosthenis oratione Ctesiphontea oratorem ubique formulam *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* adhibere, excepto uno loco (§ 196) ubi contra ponuntur *ἄνδρες δικασταί* et *οἱ περιεστηκότες ἔξωθεν*· itaque hoc fortuitum esse posse. Sed cum in Apologia alter locus adsit, non indicatus a Schanzio, formulae *ὦ ἄνδρες δικασταί* adhibitae, *ubi loquens inducitur Meletus* (26 D), meditatum non fortuitum agnoscere iam non dubito.

Idem negat oraculum Chaerephonti editum Socrati causam fuisse, cur in publicum prodiret et singulorum sapientiam experiendo suam nobilitaret; nam nota eius sapientia fuerit

necesse esse antequam a Pythia laudaretur. Negat igitur ullum eiusmodi oraculum editum fuisse. At apud Xenophontem quoque huius oraculi mentio, paullum quidem variantibus verbis: ibi Apollini Socrates audit ἐλευθεριώτατος δικαιότατος σωφρονέστατος (§ 14), non solum σοφώτατος ut apud Platonem. Quae autem rationes intercesserint inter oraculum Delphicum et Socratem Socraticosque, Apollinis cultores, compertum non est, quamvis suspicari quaedam liceat. Attamen altius cogitanti mihi quoque dubium de historica fide illius narrationis natum est. Memineram historiae apud Laertium Diogenem I 28—33 traditae de tripode τῷ σοφωτάτῳ destinato Apollinis oraculo, qui per VII sapientes initio facto a Thalete circummissus postremo ad Thaletem redit ab eoque Apollini ut vere sapientissimo dedicatur. Quod haec fabula docet, idem apud Platonem (23 B) Socrates ex oracculo de se edito efficit ὅτι οὗτος ὑμῶν, ὦ ἄνθρωποι, σοφώτατός ἐστιν, ὅστις ὥσπερ Σωκράτης ἔγνωκεν, ὅτι οὐδενὸς ἄξιός ἐστι τῇ ἀληθείᾳ πρὸς σοφίαν. Exstat Hipponactis fragmentum (45 Bergk) ex Laertio Diogene I 107 cf. I 30 καὶ Μύσων ὃν ὠπόλλων | Ἀνεῖπεν ἀνδρῶν σωφρονέστατον πάντων. Unde suspicio nascitur a Mysone vel alio quo ex VII sapientibus ad Socratem hanc narrationem a Socraticis translatam esse.

Postremo Schanz initium secundae partis Apologiae, quo poenae loco Socrates τὴν ἐν πρυτανείῳ σίτησιν sibi postulat, tamquam improbae adversus iudices contumaciae a Socrate historico alienum ducit. Et quamvis non recte locum explicaverit, quem non prompsit audacia sed constans sibi ratiocinatio, bene tamen monuit apud Xenophontem Socratem omnino recusare poenam in se statuere. Ut autem supra in oraculo antiquiorem eiusdem rei narrationem deprehendimus in versibus Hipponactis, sic hac in re mirifice consentiunt versus Xenophanis (frg. 2 Bergk) ex quibus quosdam exscripsi:

Ἀλλ' εἰ μὲν ταχυτῆτι ποδῶν νίκην τις ἄροιτο
ἢ πενταθλεύων, ἔνθα Διὸς τέμενος
— — — — — — — — — — —
ἀστοῖσίν κ' εἴη κυδρότερος προσορᾶν
καί κε προεδρίην φανερὴν ἐν ἀγῶσιν ἄροιτο
καί κεν σῖτ' εἴη δημοσίων κτεάνων
— — — — — — — — — — —
οὐκ ἐὼν ἄξιος ὥσπερ ἐγώ· ῥώμης γὰρ ἀμείνων
ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων ἡμετέρη σοφίη cett.

Patet igitur ex quibus fontibus haec de Socrate memorata proflui potuerint. Cum vero haec sola in Apologia sint quae fidem historicam prae se ferant — praeter id quod de Socrate prytani et de XXX virum imperio neglecto obiter memoratur — his autem sublatis cetera nihil nisi sermonis moralis formam peculiarem praebeant qui cum ceteris dialogis Platonis maxime cohaereat, equidem Schanzio adstipulandum puto, in Apologia non defensionem ex mente Socratis repraesentatam sed liberam Platonis compositionem nos habere, quae historicam ut aiunt veritatem minime curet, dum altius propositum sequitur.

Apparet etiam aliquid certe vidisse virum doctissimum Ast (Plato's Leben u. Schriften 1816 p. 475—495) qui primus, quod sciam, Apologiam Platoni abrogaverit. Nimis ille turbulente; et ipse quoque in eo fallitur quod ad normam usitatae defensionis hunc sermonem exigit; sed tamen multas recte monstravit difficultates quae Schanzii sententia sola tolluntur.

Quodsi quis doleat illa probata praecipuum de Socrate documentum historicum eripi, is reputet non tam opus esse scire quid Socrates per se fuerit quam quid Platoni aequalibus posteris valuerit. Namque magnorum virorum et heroum vera vita non illa cotidiana est, quae morte terminatur, sed quae nova semper renascitur et perpetuo viget floretque in animis fidelium cultorum.

AD NOMINA PROPRIA GRAECA.

Ad nomina propria graeca.

SCRIPSIT

H. VAN GELDER.

Sunt multi jam anni, Praeceptor honoratissime, ex quibus me, in subselliis academicis assidue te audientem, multis aliis rebus praeclare instituere solebas, hoc vero prae ceteris monere, viro philologo imprimis cavendam esse nimiam credulitatem, nihil tam religiose sectandum esse quam Epicharmeum illud: *νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν*. Lubet hodie ostendere, ex animo meo verissimum tuum praeceptum non discessisse. Incitat enim grata tui memoria, ut tibi, hunc diem agenti festum, immo festissimum, ratione aliqua significem, mihi quoque laetum hilaremque hunc solem illuxisse. Possim saepe iam dicta iterare, denuo profiteri, quanto gaudio mihi sit, quod te in academia magistro linguae graecae, te solo ejus linguae magistro usus sum. Praestare tamen mihi videtur, specimen edere, immemorem me numquam fuisse verborum tuorum. Ad nomina propria igitur me conferam graeca; quorum nonnullis exemplis adhibitis demonstrare conabor, nimiam credulitatem etiam fugiendam esse, si quis, studio illorum nominum deditus, dijudicare voluerit, liceatne homines, idem nomen gerentes, eosdem fuisse censeri, an minus id liceat.

Nomina propria graeca, ut nemo hodie ignorat, ex titulis potissimum cognoscuntur. Homines, nominibus illis designati,

plerumque aliunde prorsus ignoti nobis sunt. Quod cum vix aequo animo patiamur, nimirum id agimus, ut de iis plura edoceamur. Ergo viros doctos non paucos, si forte in titulo aliquo Ἄβρωνα Ἄβρωνος (hoc nomen exempli gratia usurpaverim) indagaverint, si postea in titulo alio iterum in mentionem inciderint Ἄβρωνος alicujus Ἄβρωνος, paulo incautius inde colligere videmus, non diversum fuisse alterum ab altero. Si cuipiam explorata res nondum esse videatur, at saltem verisimilem esse, ad veritatem prope accedere fere nemo negat. Equidem negaverim; dubia res est remanetque. Graeci enim haud raro pueris suis nomen idem ponebant quo ipsi appellabantur. Exemplis allatis lis dirimi potest; qui nomina graeca aliquamdiu studiose congessit, sine ullo labore probare poterit, saepissime inter sese distare homines tali appellatione designatos.

Fuerunt verbi causa non minus decem Ἀγαθοκλεῖς Ἀγαθοκλέους, quos diversos fuisse certis argumentis demonstrari potest. Unus Milesius fuit (de quo titulum adeas DS² 699 8; vixit circa saeculi alterius a. Chr. exitum), alter Chius (GDI 5660 8; aetas ejus incerta est), tertius Atheniensis (IG II = CIA II 1225; vixit ± 171), quartus item Atheniensis, ἐκ Πτολεμαϊΐδος Φυλῆς (IG II 469 93; vixit ± 119), quintus Atheniensis, Αἰξωνεύς (Michel Recueil 859 14; incertae aetatis), sextus Atheniensis, Ἐ[ρικεεύς] vel Ἐ[πιεικίδης] (IG II 469 104; vixit ± 119), a quo fortasse non discrepat septimus, Ἀγαθοκλῆς Ἀγαθοκλέους Ἐπιεικίδης (IG II 2013; saeculi alterius), octavus Atheniensis, ἐκ Μυρρινούττης (IG II 2360; incertae aetatis), nonus Atheniensis, Τρικορύσιος (Beulé Monnaies d'Athènes no. 287; cf. de eo Kirchner Ztsch. f. Numism. XXI 81 no. 7; floruit ± 160), decimus Atheniensis, Χολλείδης (IG II 465 75; vixit ± 105). — Innotuit Ἀθηναγόρας Ἀθηναγόρου Atheniensis, Μελιτεύς (de quo vide Kirchnerum Prosopogr. att. I no. 217; vixit ± 130), innotuit alter, nomine non

diversus, Atheniensis, Πειραιεύς (I G II 471 109; floruit ± 123), innotuit tertius, Chius (G D I 2581 47; vixit ± 194). — Αἰσχρίωνος Αἰσχρίωνος memoria ad nos devenit Atheniensis, Μελιτέως (B C H 6. 326; 6. 341 no. 50; vixit ± 130); eius filii, eius nomen ferentis (B C H 6. 326; vixit ± 110); tertii Αἰσχρίωνος Αἰσχρίωνος Μελιτέως, filii patruelis hominis illius, quem primo loco nominavi (Ἀθήν. IV 462; vixit ± 107); quarti, Chii (G D I 5660 15; incertae aetatis). — Ἀλέξανδροι Ἀλεξάνδρου, quos inter sese discrepasse ostendere possumus, fuerunt septem. Cognovimus Ἀ. Ἀ. Atheniensem, Ἀλαιᾶ (I G II 478; vixit ± 90); deinde alium Atheniensem, Ἐρχιᾶ (I G II 445 10. 49; vixit ± 160), tertium, Στειριᾶ (I G II 470 111; vixit ± 107), quartum, Φαληρέα (I G II 469 115; vixit ± 119). Fuerunt praeterea Ἀλέξανδρος Ἀλεξάνδρου Μυτιληναῖος (I G XII 2. 367; incertae aetatis), Παντικαπαιεύς (Stéphani Antiq. Bosp. II p. 213 no. 18 28; vixit sub finem saeculi tertii p. Chr. n.), Rhodius, Κλάσιος (M A I 23. 396 no. 73; incertae aetatis). — Fuisse reperimus duos Ἀλκιβιάδας Ἀλκιβιάδου, alterum filium illius, qui anno 510 cum Clisthene Hippiam ejecit, alterum filium celeberrimi aequalis belli Peloponnesiaci (de stemmate familiae cf. Kirchner Prosopogr. att. II p. 442). — Ἀντίοχος fuit Ἀντιόχου (ut de multis regibus Syriacis taceam, qui Ἀντίοχοι Ἀντιόχου audiebant) Ἠλεῖος (D S 2 612 8; vixit circa initium nostrae aerae), alter plane ab illo diversus Τραλλιανός (Michel 907 8; incertae aetatis). — Quid de Ἀπολλοδώροις Ἀπολλοδώρου? Unus fuit Ἀθηναῖος (Michel 857 10, in titulo mutilo excidit designatio pagi ejus), alter Κρωπίδης (B C H 6. 346 no. 67; 8. 136; vixit ineunte saeculo primo), tertius Κυδαθηναιεύς (I G II 2230; incertae aetatis), quartus Ῥαμνούσιος (I G II 470; vixit ± 107). Praeter hos Athenienses Ἀπολλόδωρος Ἀπολλοδώρου quoque fuit Ἀκρηφιεύς (Michel 624 I 12; circa annum 240),

deinde Ταυρομενίτας (D S ² 515 1.44; floruit ± 100). — Ἀπολλωνίδης innotuit Ἀπολλωνίδου Ἀχερδούσιος (I G II 1952; saeculi secundi, ut videtur), alter Ῥαμνούσιος (I G II 470 108; vixit ± 107), tertius, de cujus aetate non constat, Ῥόδιος (G D I 3846 3). — Multi ad nos pervenerunt Ἀπολλώνιοι Ἀπολλωνίου. Quinque fuerunt Athenienses (Ἀ. Ἀ. Αἰγεῖδος Φυλῆς, Michel 884 II 56, ± 125; Ἀ. Ἀ. Ἀλιμούσιος, I G II 465 74, ± 105; Ἀ. Ἀ. Μαραθώνιος, I G II 2318, dubiae aetatis; Ἀ. Ἀ. Μαραθώνιος, C I G 2289, ± 150; Ἀ. Ἀ. Ξυπεταιών, Michel 859 9, post medium saeculum secundum), tres Mytilenaei (I G XII 2. 368 1, cuius aetas non liquet; I G XII 2. 378 III 4, qui serioris aetatis fuit; I G XII 2. 399 1, qui saeculi primi vel secundi fuisse videtur). Accedunt deinde Ἀπολλώνιος Ἀπολλωνίου Ἠλεῖος (D S ² 357 5; paullo post Christum natum), Ἀ. Ἀ. τοῦ Ἀπολλωνίου Θεσσαλονικεύς (Janssen Mus. Lugd. Inscr. gr. et lat. 1842, Tab. V no. 4; imperatoriae aetatis), Ἀ. Ἀ. Μάγνης ἀπὸ Μαιάνδρου (Kern Inschr. von Magnesia p. 94 no. 105, p. 99 no. 107 14; ± 150), Παντικαπαιεύς (I P E II 70 2; imperatoriae aetatis), Περγαμηνός (D S ² 743 23, item imperatoriae aetatis), Σμυρναῖος (D S ² 583 2, item imperatoriae aetatis), Χῖος tandem (G D I 5660 18. 24, ejus aetas obscura est). Ultimum deprendimus Ἀπολλώνιον Ἀπολλωνίου ὑποκριτήν, cuius patria latet (D S ² 699 5, initio saeculi primi, ut videtur). — Memoria servata est Ἀριστονίκου Ἀριστονίκου Ἀλεξανδρέως, qui vixit ± 188 (G D I 2581 136), tum duorum Atheniensium, qui nomine eodem gaudebant (Ἀ. Ἀ. Ὀῆθεν, I G II 470 99, ± 107; Ἀ. Ἀ. Οἰναῖος, I G II 1203, aetatis incertae). — Ἀσκληπιάδαι Ἀσκληπιάδου aetatem tulerunt sex. Tres Attica genuit, patrem et filium, ejus nomen ferentem, laudatos in titulo B C H 11. 256 no. 8, tertium, qui vixit exeunte saeculo secundo, una cum fratre Ἰκεσίῳ memoratum apud Beulé no. 310 (in serie nummorum Ἰκέσιος

— Ἀσκληπιάδης). Innotuerunt deinde Ἀ. Ἀ. Ἐφέσιος (DS ² 329 22; circa annum 85), Ἀρισταῖος (DS ² 671 36; ± 120 p. Chr. n.) et Μεσημβριανός (MAI IX. 223 no. 8; imperatoriae aetatis). — Sed jam satis superque mihi ostendisse videor, quod proposueram. Ne taedium tuum moveam, vir clarissime, nomina supprimam, ab Β, Γ, Δ, etc. incipientia. Hoc mihi certo concedes, persaepe apud Graecos fuisse homines alienissimos, qui idem nomen gerebant repetito simili patris nomine.

Quid tamen, si nomen ejus, qui in titulo designatur, distat a nomine patris eius? Sic Ἄβρωνα quendam in titulo deprendimus Ἀβρομάχου, deinde in titulo alio alterum Ἄβρωνα Ἀβρομάχου, hi certe non diversi fuisse aestimandi sunt. Vulgo sic accipitur, fere nemo dubitat inter viros doctos, qui epigraphicis rebus operam dant. Verum ne sic quidem res in propatulo est. Casu nescio quo interdum accidit, ut hominem Athenis natum eodem nomine ornatum inveniamus, eadem appellatione paterna gaudentem, quibus olim praeditus fuerat Ephesius quidam vel Rhodius vel Syracusanus. Quod exemplis illustrare ultimus mihi hujus opusculi finis erit. Ne de Ἄβρωσι Καλλίου Βατῆθεν te morer, quorum non minus quattuor innotuerunt, omnes ex una familia oriundi (de iis cf. Kirchner Prosopogr. att. I p. 1 sqq.); sed fuit Ἀγάθων Ἀγαθοκλέους Φλυεύς (Michel 983 2; vixit sub finem saeculi tertii), nec non duo fuerunt Ἀγάθωνες Ἀγαθοκλέους Ἡρακλεῶται, avus (IG II 2909; incertae aetatis) et nepos (IG II 2910). Ἀγαθοκλῆς praeterea memoratur Ἀγάθωνος Ἀθηναῖος (CIA IV 2. 3429 b; dubiae aetatis). — Ἀγήσανδρος Παιωνίου Ῥόδιος floruit circa annum 200 (Scrinzi Iscrizioni inedite di Rodi, no. 12 II 14); alium Ἀ. Π. Ῥόδιον agnoscimus, initio saeculi primi viventem, in titulo laudatum GDI 3819 16 (cf. GDI 3791 425). — In titulo attico Ἀντιόχου Ἡρώδου Εὐπυρίδου mentio fit (IG II

1049 88. 89; vixit sub nostrae aerae initium), in titulo acraephiensi Ἀντιόχου Ἡρώδου Ἀκραφιῶς (B C H 22. 248 no. 3 B 6; imperatoriae aetatis). — Ἀντισθένης Ἀντιφάτους fuit Κεκροπίδος φυλῆς (C I A IV 2. 563 b 23; ± 334), fuerunt insuper duo Ἀ. Ἀ. Κυθήρριοι (Πανδιονίδος φυλῆς igitur), avus et nepos, qui circa idem tempus floruerunt (vide eorum stemma apud Kirchnerum Prosopogr. att. I p. 83). — Ἀπολλόδωρος Ἀσκληπιοδώρου Κορωνεύς, qui saeculo tertio vixit (D S² 236 5), manifesto discrepat ab Ἀ. Ἀ. Φαλαννᾶου, quem titulus memorat, anno 178 incisus, B C H 7. 427 no. 6 18. — Item plane constat, Ἀπολλόδωρον Λεοντέως Μάγνητα ἀπὸ Μαιάνδρου (D S ² 928 103; Kern Inschr. von Magnesia p. 69 no. 68 2; vixit ± 150) diversum fuisse ab Ἀ. Λ. Τραλλιανοῦ (D S ² 674 4; incertae aetatis). — Ἀπολλωνία Ἡρακλείδου, quae Athenis sepulta est (I G II 3476, aetatis incertae), differt ab Ἀ. Ἡ. Περγαμηνῆς, cuius titulus sepulcralis in museo Leidensi exstat (Janssen Tab. V no. 5). — Tres ad nos devenerunt Ἀπολλώνιοι Δημητρίου, unus Αἴνιος (Michel 665 5; dubiae aetatis), alter Κυζικηνός (Rev. des ét. gr. VII 8 2; ± 38 p. Chr. n.), tertius Χῖος (G D I 2581 170; ± 186). — Vel quattuor Ἀπολλωνίων Διονυσίου memoria servata est, duorum Atheniensium (Ἀ. Δ. ἐκ Κεραμέων, I G II 2128, incertae aetatis; Ἀ. Δ. Κηφισιεύς, I G II 4657 5, ± 105), unius Ἀντιγονέως (D S ² 185 4. 15; ± 300), unius Μυτιληναίου (D S ² 588 234; ± 180). — Ἀριστίων Ἀριστονίκου fuit Atheniensis (C I A IV 2. 3492 b); de eius aetate non constat), alius, qui idem nomen gerebat, Orchomenius fuit (G D I 486 20; floruit sub finem saeculi tertii). — Ἀριστοκράτεις Ἀπολλοδώρω Ἀκραφιεύς per titulum revixit B C H 23. 194 no. 1 19 (floruit circa a. 220); differebat nimirum ab Ἀ. Ἀ. Ῥοδίου, cujus memoriam titulus cretensis servavit G D I 5104 6 (e saeculo tertio). — Αὐτολύκου Λύκωνος nomen aetatem tulit Θορικίου (de eo videndum est apud Kirchnerum no. 2748);

vixit sub exitum saeculi quinti), habemus quoque Αὐτόλυκον Λύκωνος Κρῆτα (D S² 274 31; ± 193). — Innotuit Ἀγαθοκλῆς Διονυσίου Μαραθώνιος (I G II 983 III 89; C I A IV 2. 623 d 4; e 34; ± 175), innotuerunt pater ejus Διονύσιος Ἀγαθοκλέους Μαραθώνιος (l. l.), filius ejus Δ. Α. Μ. (l. l.), nec non Διονύσιος Ἀγαθοκλέους Μελιτεύς (Ἀθήν. II 134; vixit ineunte saeculo primo). — Ἀρχίππου Εὐξένου ad nos pervenit memoria Συρακοσίου (Arch. ep. Mitth. aus Oesterr. XV 111 15; floruit medio tertio saeculo), Εὔξενος autem fuit Ἀρχίππου Εἰρεσίδης (Michel 688 44; ± 186). — Ἀσκληπιάδου Μητροδώρου nomen repertum est Ἀντιοχέως ἀπὸ Πυράμου (G D I 2581 280; ± 172), Μητροδώρου autem Ἀσκληπιάδου Λαρισαίου (Michel 235 7; I G VII = I G Sept. I 4130 72; vixit medio saeculo secundo).

Finem jam faciam. Quid attinet, longa serie nomina quoque exhibere, initium ab Β, Γ, Δ, etc. capientia? Haec sufficere mihi videntur, ut probatum habeam quod probare mihi hodie sumpseram.

AD TACITUM.

Ad Tacitum.

SCRIPSIT

P. J. M. VAN GILS.

ὀλίγη τε φίλη τε.

Agricol. c. VI: ‚Mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae certior et silentium; nec enim iurisdictio obvenerat.'

Haec est lectio utriusque Vaticani codicis (A et B).

Verba corrupta esse iam perspexerat Rhenanus et scribi iusserat ‚*tenor et silentium*'.

Peerlkampius dubitanter proponit: ‚gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia *certior et* pro sapientia fuit. Idem praeturae silentium'; iure — mea quidem sententia — v. cl. Cornelissen hanc suspicionem in textum recepit, nam verba ‚*certior et*' de suo loco migrasse videntur.

Nisi fallor manet tamen vitium et voces ‚*sub Nerone*' expungendae esse videntur. Cfr. Agr. 5: ingrata temporibus, quibus...., Ann. XVI. 35: ceterum in ea tempora natus es, quibus...., Hist. I. 1: rara temporum felicitate ubi....

Legatur igitur: ‚gnarus [*sub Nerone*] temporum, quibus inertia certior et pro sapientia fuit'.

Ann. I. 42. legitur: ‚Divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando qui sacramentum eius detrectabant; divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit: nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat; primane et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot proeliorum socia, tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis?'

Quibus in verbis Germanici ad milites rebelles illa a Tacito laudata modestia desideratur; sed scribas velim *‚nos ut non* [*dum*] *eosdem ita'* .... et erunt verba modestiae plena.

Fierine potest ut Germanicus dixerit se sperare fore ut aliquando esset alter ‚divus Iulius', alter ‚divus Augustus'? Vix credam.

Praeterea hoc uno loco apud Tacitum ‚nondum' iungitur cum pronomine personali (cfr. Lex. Tac. edd. Gerner et Greef, s. v.).

Tandem NOS VT NON EOSDEM et NOS VT NONDUM EOSDEM confundi possunt.

ANNOTATIONES VARIAE.

Annotationes variae.

SCRIPSIT

P. GROENEBOOM Jr.

I.

Hymn. ad Merc. v. 376.

μηνύειν δ' ἐκέλευεν ἀναγκαίης ὑπὸ πολλῆς,
πολλὰ δέ μ' ἠπείλησε βαλεῖν ἐς Τάρταρον εὐρύν,
οὕνεχ' ὁ μὲν τέρεν ἄνθος ἔχει φιλοκύδεος ἥβης,
αὐτὰρ ἐγὼ χθιζὸς γενόμην — τὰ δέ τ' οἶδε καὶ αὐτός —
οὔτι βοῶν ἐλατῆρι, κραταιῷ φωτί, ἐοικώς.

Ad Iovem iudicem conversus, Mercurius petulans ille deus, fascias suas brachiis ferens, et patri suo innuens (vss. 387 sq.), hic, item ut vs. 378 (observa quam lepide sit dictum illud *καὶ γὰρ ἐμεῖο πατὴρ φίλος εὔχεαι εἶναι*) haud dubie summum deum leniter deridet, qui *νυκτὸς ἀμολγῷ*, Iunone dormiente, deis hominibusque ignotus Maiae amplexus petebat. Cum porro consideramus *οἶσθα καὶ αὐτός* (quod et vs. 382 recurrit) loquendi esse formulam usitatissimam, facile eo adducimur ut vs. 376 legendum esse suspicemur: *τὰ δέ τ' οἶσθα καὶ αὐτός*. Quae verba si pronuntiantur ab eo qui limis Iovem adspicit, magnopere venustas totius augetur loci: quis enim accuratius

novisse debebat quo die natus esset Mercurius, quam Mercurii matris amator?

II.

vs. 436. *βουφόνε, μηχανιῶτα, πονεύμενε, δαιτὸς ἑταῖρε,*
πεντήκοντα βοῶν ἀντάξια ταῦτα μέμηλας.

Sive „absolute" dictum istud *πονεύμενε* esse rati vertimus: „o laboriose", sive ‚cum *μηχανιῶτα* iunctum, „impostor laboriose" (Allen et Sikes), utraque dubitationi obnoxia est interpretatio. Baumeister iure, ut opinor, vitii aliquid latere suspicatur, Gemoll voci q. e. *πονεύμενε* crucem praefigit. Ut magno coniecturarum, quae iam prolatae sunt, numero unam addam, auctor sum legamus *ποδήνεμε δαιτὸς ἑταῖρε*, quod epitheton, quo et Homerus utitur et Hymni ad Apollinem poeta (107) de Iride, egregie velocem deorum decet nuntium.

III.

Eur. Herc. 174 (v. Wil.).

πρῶτον μὲν οὖν τἄρρητ' (ἐν ἀρρήτοισι γὰρ
175 *τὴν σὴν νομίζω δειλίαν Ἡράκλεες)*
σὺν μάρτυσιν θεοῖς δεῖ μ' ἀπαλλάξαι σέθεν.

ἄρρητον hic Herculis *δειλίαν* vocat Amphitryo, quod mire concinit cum loco quodam Libanii (XXVI, 9) ubi item *δειλία* dicitur *ἄρρητον*. Totus locus est huiuscemodi: *οὐδὲ γὰρ φιλανθρωπίαν ἔτι τοῦτο* (sc. *τὸ πείθειν*) *καλοῦσιν οἱ κακοήθεις, ἀλλ' ⟨ὃ⟩ ἐγὼ μὲν οὐκ ἂν εἴποιμι, τοῖς δ' οὐδὲν ἄρρητον.* Annotat v. Herwerden: „scilicet *δειλίαν* malitiosi isti praefecti lenitatem vocabant".

Hic mihi observare liceat fortasse non necessarium esse cum Herwerdeno inserere *ὅ*, dummodo apta interpunctione locus illustretur: *οὐδὲ γὰρ φιλανθρωπίαν ἔτι τοῦτο καλοῦσιν οἱ*

κακοήθεις, ἀλλ' ... (et hic abominantis utitur gestu) ἐγὼ μὲν οὐκ ἂν εἴποιμι, τοῖς δ' οὐδὲν ἄρρητον.

IV.

vs. 356. γενναίων δ' ἀρεταὶ πόνων τοῖς θανοῦσιν ἄγαλμα.

Nauckii coniectura τοῖς θνατοῖσιν satis refutatur hoc Andromachae loco (775) ἁ δ' ἀρετὰ καὶ (Reiskius et Cobetus V. L.[2] p. 592 κἀν) θανοῦσι λάμπει.[1]) Cui tamen nihilominus hic conicere aliquid lubet, is huius Andromachae loci memor simulque Wilamowitzii versionis rationem habens (denn die tugend .. ziert *noch* im tode) pro τοῖς proponere possit καὶ vel κἀν. Equidem nihil mutandum censeo.

V.

vs. 576. τῷ γάρ μ' ἀμύνειν μᾶλλον ἢ δάμαρτι χρὴ
καὶ παισὶ καὶ τεκόντι; χαιρόντων πόνοι·
μάτην γὰρ αὐτοὺς τῶνδε μᾶλλον ἤνυσα.

Hoc versu, quem damnat v. Herwerden, semper equidem haesi in voce q. e. ἤνυσα. Ad intelligendum facilis haec esset lectio: μάτην γὰρ αὐτοὺς τῶνδε μᾶλλον ἤνεσα (pluris feci).

Similis corruptela, quae ut hunc locum corruptum esse verisimile fiat efficit, legitur Soph. O.C. 432, quem locum sic Kuiperus edidit:

εἴποις ἂν ὡς θέλοντι τοῦτ' ἐμοὶ τότε
πόλις τὸ δῶρον εἰκότως κατήνυσεν.

„κατήνυσεν P. κατῆνυσεν L. unde plerique ex libris rec. κατήνεσεν" (quam lectionem editores ceteris potiorem habere solent).

---

1) Cf. Bacchyl. I 71 (Jebb) ἀρετὰ δ' — ἀνδρὶ καὶ εὖτε θάνῃ λείπει πολυζήλωτον εὐκλείας ἄγαλμα.

VI.

vs. 1089. ἔα·

ἔμπνους μέν εἰμι καὶ δέδορχ' ἅπερ με δεῖ κτἑ.

Wilamowitzii interpretatio: „ich sehe die dinge in ihrem richtigen lichte, mein auge deckt kein nebel" parum accurata videtur. Praesertim cum consideramus vs. 1090 αἰθέρα τε καὶ γῆν τέξα θ' Ἡλίου τάδε, hoc requiri videmus: video quod me videre oportet: non iam contemplatur diras illas species quas turbata mens ei ante oculos posuit.

VII.

vs. 1228. ὅστις εὐγενὴς βροτῶν

φέρει τὰ τῶν θεῶν γε πτώματ' οὐδ' ἀναίνεται.

Lectio L. G. τὰ τῶν θεῶν γε metrum violat. Wilamowitzius Stiblinum secutus legit τὰ θεῶν γε, Weckleinius Reiskii probat lectionem τὰ τῶν θεῶν. Mihi maxime haec arridet lectio: τά γ' ἐκ θεῶν πτώματ' οὐδ' ἀναίνεται.

VIII.

vs. 1232. ΗΡ. τί δῆτά μου κρᾶτ' ἀνεκάλυψας ἡλίῳ;

ΘΗ. τί δ'; οὐ μιαίνεις θνητὸς ὢν τὰ τῶν θεῶν.

Wilamowitzii versio: ‚Warum nicht? ewig ist das element etc.' nobis viam munivit ad veram hanc interpunctionem:

τί δ' οὔ; μιαίνεις θνητὸς ὢν τὰ τῶν θεῶν;

IX.

Med. 1218—1219 (Weckl.).

χρόνῳ δ' ἀπέστη καὶ μεθῆχ' — ὁ δύσμορος —

ψυχήν· κακοῦ γὰρ οὐκέτ' ἦν ὑπέρτερος.

Neque Scaligeri lectio ἀπέσβη, quam Weckleinius in calce paginae commemorat, neque Bartholdi ἀπεῖπε digna est quae

vulgatae ἀπέστη praeferatur. Quam unice veram esse docet locus Thucydidis (II, 74, 4), qui totos hosce versus tam egregie illustrat ut scriptus esse videatur ab eo qui legentibus Euripidem in mentem vellet revocare. Historicus enim pestilentiam describens postquam narravit misero populo neque preces neque oraculorum responsa quidquam profuisse, sic pergit: τελευτῶντές τ' αὐτῶν ἀπέστησαν ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι. Participium τελευτῶντες apud Thuc. respondet substantivo χρόνῳ apud Eur., quemadmodum verba ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι idem significant quod poetae illa κακοῦ γὰρ οὐκέτ' ἦν ὑπέρτερος.

X.

Alc. vs. 361 (Weckl.).

ἥ τόδ' ὑπέστη πόσιν ἐκλύσασ'
αὐτὴ προθανεῖν Πελίου παῖς.

Scholiastae (A^s B^i cf. Schwartz) annotatio ἥτις, Πελίου παῖς quid sibi velit non video, nisi statuimus eum in textu legisse:

ἥτις ὑπέστη πόσιν ἐκλύσασ'
αὐτὴ προθανεῖν [Πελίου παῖς].

Sed pauci, ut opinor, hanc praeferent lectionem, qua in fine versus perit emphaticum illud Πελίου παῖς. Praeterea qui hunc scholiastam notum habet potius expectaverit aliquam huiuscemodi annotationem:

ἥτις ᾿Αλκηστις.

In transitu moneo sine causa sollicitari lectionem ἐκλύσασ' pro qua Weckleinius legere vult ἐκλύουσ', et Vitellius ἐκλύσουσ'. Participium illud hic hancce vim habet: „ea conditione ut liberet", quod docet hic locus e Soph. El. 1304 κοὐδ' ἂν σε λυπήσασα δεξαίμην (cf. ὑπέστη!) βραχὺ | αὐτὴ μέγ' εὑρεῖν κέρδος et And. I, 5 ἄλλοθί τε γὰρ ἂν πάντα τὰ ἀγαθὰ ἔχειν στερόμενος τῆς πατρίδος οὐκ ἂν δεξαίμην.

XI.

vs. 527. ΗΡ. ἆ μὴ πρόκλαι' ἄκοιτιν, ἐς τόδ' ἀμβαλοῦ.
χ'ὁ
ΑΔ. τέθνηκε μέλλων χ'ὡ θανὼν οὐκ ἔστ' ἔτι.

Verum esse ait Admetus uxorem suam nondum esse mortuam, sed instare fatalem illum diem eamque tantum non mortuam esse. Cf. vs. 521 ἔστιν τε κοὐκέτ' ἔστιν ἀλγύνει δέ με et praesertim vs. 525 πῶς οὖν ἔτ' ἔστιν εἴπερ ᾔνεσεν τάδε; (τόδε? sc. τὸ κατθανεῖν). His argumentis ego auctor sum ut versum conclamatum sic restituamus:

τέθνηχ' ὁ μέλλων χὠ θανὼν κοὐκ ἔστ' ἔτι.

ut Admetus hoc dicat: „et is qui iamiam est moriturus (ὁ μέλλων θανεῖσθαι) et is qui mortuus iam est, me iudice, tamquam mortui sunt considerandi", cui sententiae Hercules, ut hospitem consoletur, apte respondet vs. 527 χωρὶς τό τ' εἶναι καὶ τὸ μὴ νομίζεται: „vita manente spes manet". Notum est pleonasmum τέθνηκε — κοὐκ ἔστ' ἔτι usitatissimum esse in poesi Graeca. Exemplo sit Hom. Od. α 289: εἰ δέ κε τεθνηῶτος ἀκούσῃς μηδ' ἔτ' ἐόντος.

XII.

Hec. vs. 642.

640 κοινὸν δ' ἐξ ἰδίας ἀνοίας
κακὸν τᾷ Σιμουντίδι γᾷ
ὀλέθριον ἔμολε συμφορά τ' ἀπ' ἄλλων.

Olim putabam apte pro τ' ἀπ' ἄλλων reponi posse τ' ἄλαστος. Sed nunc magis probo τ' ἐπακτός cuius vocis ἀπ' ἄλλων interpretamentum videtur. Incerta tamen res est.

XIII.

Hel. 1590. πάλιν πλέωμεν ἀξίαν· κέλευε σύ κτέ.

L.G. ἀξίαν habet, supra α scripto να. Simplicem hanc ex-

spectamus sententiam: „vela retro ad litus demus", quam reponere conatus est Dindorfius coniciendo ἀκτίαν (= ἀκτήν). Quidni ῥαχίαν, quod, cum ῥ excidisset, facile in ἀξίαν vel ναξίαν potuit corrumpi?

XIV.

Arist. Ach. vs. 220 (v. L.):

νῦν δ', ἐπειδὴ στερρὸν ἤδη τοὐμὸν ἀντικνήμιον,
καὶ παλαιῷ Λακρατείδῃ τὸ σκέλος βαρύνεται,
οἴχεται.

Annotat Leeuwenius: „*senex Lacratides*, qui nominatim a coryphaeo nunc designatur, unus est e choreutis". Nonne totus locus fiat festivior si statuamus, *ipsius Coryphaei* nomen fuisse Lacratidem? cf. Lys. 365 cum Leeuwenii ann.

XV.

vs. 563. εἶτ', εἰ δίκαια, τοῦτον εἰπεῖν αὐτὰ χρῆν;
ἀλλ' οὔτι χαίρων ταῦτα τολμήσει λέγειν.

Licet intelligi possit textus traditus, verisimilius mihi videtur coryphaeum alloqui ducem chori dimidiati versu 562: εἶτ' εἰ δίκαια, τοῦτον εἰπεῖν αὐτὰ χρῆν; tum minitabundum eum se convertere ad Dicaeopolidem (id quod commendatur vs. 564: οὗτος σύ, ποῖ θεῖς, οὐ μενεῖς;) et sic pergere:

ἀλλ' οὔτι χαίρων ταῦτα τολμήσεις λέγειν.

Minitantis illud οὔτι χαίρων saepissime cum 2ª pers. sing. coniungitur.

XVI.

vs. 847. οὐδ' ἐντυχὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρόσεισί σοι βαδίζων.

In Leeuwenii ann. crit. legimus: βαδίζων] ineptum ducens

Meineke coniecit κακίζων, Blaydes dubitanter βαΰζων (coll. Thesm. 173). Lenis foret haec emendatio:

οὐδ' αὖ τυχὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρόσεισί σοι βαδίζων.

Iunge τυχὼν—βαδίζων: „dum forte ibi ambulat". Cf. e.g. Xen. Hell. I, 6, 21 τυχόντες ἐν τῇ γῇ ἀριστοποιούμενοι.

XVII.

Plut. Them. XII.

Eurybiade, qui proelium vult vitare, ad Themistoclen dicente: ὦ Θεμιστόκλεις, ἐν τοῖς ἀγῶσι τοὺς προεξανισταμένους ῥαπίζουσι apte hic respondet: ναὶ ... ἀλλὰ τοὺς ἀπολειΦθέντας οὐ στεΦανοῦσιν, quibus verbis narratiunculae auctor (consultone an forte?) comprehendit sententiam quae servata nobis est in Aesch. fragm. 39 (Dind.): ἀγὼν γὰρ ἄνδρας οὐ μένει λελειμμένους.

LINGUA....CENA.

Lingua .... Cena.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Miraturum Te arbitror, Nabere, me eo Horatii versu, ubi cuidam homini malum attulisse *lingua* dicatur, pro *lingua* reponere *cenam* velle. Hanc enim magni unquam fuisse causam doloris non facile Tibi persuadebis, cui nihil sit iucundius quam identidem ad convivium largum opiparumque invitare cum cognatis intimisque amicis quam plurimos eorum quos Tecum iunxit aliqua studiorum communio. Quorum ut magnus sit in patria nostra numerus, Tuus omnium bonarum artium amor ille facit late patens et vix ullis circumscriptus terminis. Etenim certa Tibi stat sententia haud facile existere posse rixas inimicitiasque hominum cultiorum qui semel una genio indulserint et inter pocula iucunde sint confabulati. Atque facile ad Tuam mentem hic pertrahis omnes qui Tua fruuntur benignitate et urbanissimis sermonibus. Contra haud mirer si a *lingua* quodvis malum metuas; nullum enim unquam hominem magis anxie caventem vidi ne illa quemquam laederet. Saepe Tecum una fui, sed nunquam Te de ullo homine literato acerbius audivi iudicantem. Et quae multa atque egregia scripsisti ea aut omnia aut tantum non omnia legi, sed nullum ibi inveni verbum quod

dolorem facere cuiquam posset. Insignis profecto lenitas hominis, quem petulantibus appetere dictis alii non semper sint veriti.

Iam quis ille versus esset statim ut opinor divinasti. Legitur Hor. Epl. I, 19, 15:

Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua

ibique pro *lingua* et alia est in quibusdam codicibus lectio *cena*, quam hactenus omnes editores criticique spreverunt. At ego unice veram eam esse contendo clamoque. Videamus singula.

Iarbita ille quis fuerit pro certo statui iam non potest. Sed videtur haud dissimilis fuisse viri illius opulenti, cuius ex ultimo Oriente Parisios delati, ubi luporum urbanorum praeda factus est, miserias atque aerumnas ficta narratione egregie depinxit Alphonsus Daudet. Neque multum proficimus corruptis scholii verbis „regione me fuit Cordus." Quae corrigere studentes critici in eo mihi errare plerique videntur quod a nomine quod est *Cordus* non abstinuerint manus. Intempestive enim recordatum scholiastam suspicor Virgiliani „rumpantur ut ilia Codro (v. l. Cordo)," verbo q. e. *rupit* in errorem inductum. Sed hoc mitto utpote in hac quaestione minoris momenti.

Plura eaque disertiora de Timagene nobis sunt tradita. Atque de *lingua* quidem eius constat. Fuit homo protervus qui ineptissimum in modum saepe potentissimos laederet patronos, quemadmodum lepidissima docet narratiuncula Seneca (de Ira III, 23) et testantur alii (velut Plut. Quom. adul. 68 B, Quaest. Conv. 634 E).

Neque de *cenis* eius siletur. Sed hic grammatici de malis scribentes, quae ét illi ét imitatori eius aemuloque Iarbitae cenae attulerint, nescioquid de morbo commenti sunt funesto, in quem uterque nimia voracitate inciderit. Sic Porphyrio de

Iarbita: „se voce et stomacho male suppetens rupit" et de Timagene Suidas: *ἐτελεύτησε δ' ἐν 'Αλβάνῳ ἐμέσαι βουληθεὶς καὶ σφηνωθεὶς* et *κληθεὶς ἐπὶ δεῖπνον καὶ σφηνωθεὶς ἀπέθανε.* (Morbi nomen *σφήνωσις* legitur etiam Plut. de tuend. san. 127 D. Qui qualis sit non definio, sed voracitatem eius causam haberi apparet).

Iam ineptissimam esse lectionem *rupit .... cena*, si eam sic interpretemur ut fingamus Iarbitam revera „rupto iacuisse corpore" quia tantundem quantum Timagenes, vir edacissimus, comesse conatus esset, neque ego nego neque negare quisquam mortalium potest. Et tamen eo ducunt Porphyrionis verba „se voce *et stomacho* male suppetens rupit."

Verum altera illa: *rupit .... lingua* num multo minus inepta est? Num rem continet quae unquam facta sit vel fieri potuerit? Etenim de Timagenis *lingua* legentes non possumus non cogitare de eius convitiis et maledictis. Haeccine ergo Iarbitas imitatus est? Cur, obsecro? An quia putabat sibi ea laudi et emolumento esse posse? At deterrere eum a conviciis Timagenis poterat exemplum, qui iis amisit id quo nihil, ut opinor, Iarbitae optatius esse poterat: amicitiam et familiaritatem principis. Quid quod *imitari* asperitatem alicuius et acerbitatem quid sit quivis statim intelligit, at *aemulari* asperitatem acerbitatemque absurdum videtur. Scio mihi hic Martialis notissimum versum oppositum iri

An aemulatur improbos iocos Phaedri?

Sed hic de acerbo quodam *literarum genere* sermo est, in quo qui par eius auctori fieri studet is recte eius improbos iocos *aemulari* dicitur. Sed longe aliter res se habet cum de conviciis quae in *quotidiano* iaciuntur sermone agitur.

Hoc vero multo gravius quod totum illud *aemulari linguam* (ut iam concedam *aemulandi* verbum hic recte adhiberi)

omnino non quadrat in totum loci contextum. De quibus enim hominibus agitur? Ut opinor de imitatorum servo pecore, qui *falsa* rerum *specie* se capi patiantur, qui quia vinosi fuisse poetae quidam nobiles dicantur, non cessant

nocturno certare mero putere diurno

vel qui se Catones fore arbitrantur, si Catonis induerint vestem simplicem horridamque. Acerbitas autem et maledicendi consuetudo cuius rei unquam fuerunt species falsa ita ut pro illa re ipsa sumi potuerint? Equidem aut nihil eius modi invenio aut aliquid quod prorsus non sit huius loci: quid enim nobis hic cum παρρησίᾳ et ingenua libertate?

Hic nobis praeclaram fert opem idem ille Porphyrio cuius modo verba „se voce et stomacho male suppetens rupit" reiiciebamus. Praecedunt enim haec: „Timagenem ferunt multos adhibere solitum et cenae et declamationi suae, dumque ab his multum laudatur, ad imitationem sui provocasse Iarbitam" [1]) in quibus insunt omnia quibus nobis opus est.

Rupit Iarbitam Timagenis aemula cena,
Dum studet urbanus *tendit*que disertus haberi.

Timagenes multos habuit amicos, quos lautis epulis excipiebat, dumque iis declamationes suas inter pocula recitabat, nimirum *urbanus disertusque* habebatur. Ratus ergo Iarbita in coenis epulisque esse omnia, Timagenis aemulabatur convivia ... sed *ruptus est* i. e. decoxit et naufragium fecit patrimonii. Si *ruptum* esse hominem aliquem dicimus, audientes admonemus fabulae de rana et bove, sed ita ut statim intelligant eum ad inopiam paupertatemque redactum.

Exemplum Timagenis quod Iarbitae exitio fuit egregie illustrant et Martialis locus (VI, 48):

---

1) Non unius esse grammatici prudentissima haec: „*Timagenem — Iarbitam*" et insana ista quae sequuntur: „qui se voce et *stomacho male suppetens* rupit, dum Timagenem et dicendo et pascendo amicos conatur aequare" manifestum est.

Quid tam grande sophos clamat tibi turba togata?
Non tu, Pomponi, cena diserta tua est
ét hic Horatii
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?

Sed omnem tibi eximet dubitationem hic locus ex Arte Poetica 419 sqq.:

Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta
Dives agris, dives positis in foenore nummis.
Si verost, *unctum* qui recte *ponere* possit
Et spondere levi pro paupere et eripere artis
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter
Noscere mendacem verumque beatus amicum.

Paene nefas est, Nabere, a suavissimis Tuis urbanissimisque exorsum conviviis subiungere tam multa de divitum scurrarum et abiectissimorum adulatorum epulis. Sed quo quidque est praestantius pulchriusque eo magis nitet splendetque si turpia et ingrata opponuntur.

AD DIONEM PRUSAEUM.

Ad Dionem Prusaeum.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Anno D. 1849 posteaquam XVIII annos natus studiorum causa me contuli Leidam, ubi tunc in litteris Latinis regnabat iam senior Bake, in Graecis vero florens aetate et plenis summi ingenii viribus Cobet, mox socius adscriptus sum sodalitio philologico, cui non temere nomen erat *Studiis et amicitiae.* Etenim statis diebus in singulorum commilitonum cubicula sub vesperam congregantes, gnaviter variis exercitationibus litterariis occupati *Studiis* incumbebamus ad horam fere undecimam duodecimamve, sed haud minus impigre — erant qui proh pudor! has demum *serias* nuncuparent studiorum nostrorum partes — indulgebamus *Amicitiae* — in multam noctem hilare trahentes convivium, initio quidem prisco more potantes *chocolatam* — Di perduint scelestam potionem, cui fortasse debeo stomachalgiam, qua identidem laboro! — sed mox Catoni uni alterive relicta ista, substituentes generosum uvarum liquorem, quo interdum (interdum dico) nos abusos esse quantumvis invitum confiteri me iubet veritas. Quidquid est, eximie delectabamur compotantes, cantantes [1]), in his ἄμουσα quidam ὑλακτοῦντες, quorum ego facile princeps, iocan-

1) Praecentore desideratissimo amico meo Tjallingio Halbertsma, qui postea conscendit et ornavit cathedram litterarum Graecarum in Universitate Groningana.

tes et liberaliter et scurriliter, altercantes, pugnantes, redeuntes in gratiam nec sine lacrimis aeternam (*heu vatum ignarae mentes!*) iurantes amicitiam, donec tandem epotis lagenis lux matutina somnolentos cubiculum suum quemque repetere, rem saepe difficillimam, cogeret.

Quorsum vero haec omnia, quae iuniorum nemo iam curat, tuque, mi Nabere, vel melius me ipse nosti?

Causa cur in memoriam haec tibi revocem, si alios, te saltem non latet. Quo tempore ego adolescentulus in utilissimam quam descripsi societatem admissus sum, quamvis democraticae, praeerant ei tres viri, quos iuniores heroum ad instar suspiciebamus, admirabamur, amabamus, quosque exempla vitae studiorumque proponebamus nobismet ipsis, E. J. Kiehl, S. A. Naber, E. Mehler, patroni minorum principio, mox amici.

Illis pridem iniquo fato defunctis tu solus superstes iam annum agis octogesimum ita corpore animoque vegetus, ut spes sit, multos etiam annos additurum esse Deum optimum maximum plenos felicium cogitationum, quibus ferax tuum ingenium locupletare solet rem publicam litterariam.

Quamquam fracto corpore et debili ego unus paucissimorum, qui felicia illa tempora viderunt, nolui nomen meum desiderari in numero magno philologorum festum tuum celebrantium.

Relegi nuper scriptorem Graecum, quo quamvis meliora merito vix ullus corruptior ad nostram pervenit aetatem; Dionem dico rhetorem illum et philosophum Prusaeum, in cuius textu emendando, ut nosti, multum iam olim in Herme Berolinensi et Mnemosynes nostrae vol. XXII et XXVI operae collocavi; nec frustra iudice Arnimio sagacissimo ultimae et optimae hucusque Dioneae editionis auctore, cuius censuram egi in Mnemosyne. Cf. Arnimii additamenta ad vol. I.

Hac autem nova lectione mihi compertum est plurimos quidem locos insanabiles esse, alios me doctiorum et ingeniosiorum expectare auxilium, haud ita paucos tamen satis probabiliter a me posse emendari. Quos omnes aliquando deo volente indicaturus, paucas hodie emendationes tibi quasi ἀναθήματα dedicare fert mihi animus.

Or. V § 9 scribitur de Syrtibus: βραχέα γὰρ καὶ διθάλαττα καὶ ταιναὶ μακραὶ μέχρι πολλοῦ διήκουσαι παντάπασιν ἄπορον καὶ δύσκολον παρέχουσι τὸ πέλαγος.

Pro corrupto διθάλαττα olim Mnem. XXII, p. 134 dubitabundus tentavi ἀδιάλειπτα, hodie vero traditis litteris pressius insistens διπάλαστα. Sensus: *vada vel duarum palmarum*, ita ut paullo maius navigium transire non posset.

Or. XIII (XII) § 19. οἳ ἂν ἱκανῶς κιθαρίσωσι Παλλάδα περσέπολιν δεινὰν ἢ τῷ ποδὶ βῶσι πρὸς τὴν λύραν κτέ.

Imo vero ὅλῳ ποδί, ut legitur v. c. apud Apollonium Rhodium Arg. IV 1165.

Or. VII (XIII) § 14. τό τε γὰρ χωρίον ἀπόρρυτον ἑκατέρωθεν Φάραγξ βαθεῖα καὶ σύσκιος, καὶ διὰ μέσου ποταμὸς οὐ τραχὺς (ταχὺς?) ἀλλ' ὡς ῥᾷστος διαβῆναι καὶ βουσὶ καὶ μόσχοις.

Infeliciter tam Morellius ἐπέρρυτον quam Casaubonus κατάρρυτον coniecerunt. Procul enim dubio sententia postulat ἀπόξυρον, *praeruptum*.

Ibidem § 128. χρὴ οὖν τὰς ἐκτροπὰς τῶν λόγων, ἂν καὶ σΦόδρα μακροὶ δοκῶσι, μὴ μέντοι περὶ Φαύλων μηδὲ ἀναξίων [λόγων] μηδὲ οὐ προσηκόντων κτέ.

Manifesto *longitudo* non tribuitur ipsis sermonibus, sed digressionibus, itaque vera lectio est μακραὶ.

Or. XXXI (XIV) § 17. τὸ γὰρ προκαλούμενον ἕκαστον καὶ κινδύνων καταΦρονεῖν καὶ πόνους ὑπομένειν, καὶ τὸν μεθ' ἡδονῆς καὶ ῥᾳθυμίας ὑπερορᾶν βίον οὐκ ἂν ἄλλο τις εὕροι παρά γε τοῖς πλείοσιν.

In antecedentibus de nulla provocatione sermo fit, sed de pulchris facinoribus spontaneis, quapropter non dubito quin corrigendum sit προελόμενον.

Ibidem § 23. οἱ γὰρ τὴν αἰτίαν παραβάντες κτἑ. Sub παραβάντες non latet παραγράψαντες (sic v. Arnim) sed παραπέμψαντες, quo verbo Dio et alibi saepe usus est et in hac oratione §§ 100, 106, 146.

Or. XXXVII (XX) § 15. In epigrammate

Ἀργὼ τὸ σκάφος εἰμί, θεῷ δ' ἀνέθηκεν Ἰάσων
Ἴσθμια καὶ Νεμέοις στεψάμενον πίτυσιν

requiro στεψάμενος. Iason reportatis victoriis Isthmiaca et Nemeensi, Argum dedicavit Neptuno.

Or. XLIII (XVI) § 1. ἐγὼ δὲ οὐκ ἐπιθυμῶν πράγματα ἔχω δι' οὐδὲν ἕτερον ὑπὸ ἀνθρώπων ἀδυνάτων καὶ φθονερῶν ἢ ὅτι δοκῶ στέργειν ὑμᾶς κτἑ. Quis non praetulerit ἀσυνέτων sive ἀξυνέτων? Cf. § 3.

Or. LXIV (XVII) § 18. εἰ δέ σοι τὸν τῦφον βακτηρία καὶ πήρα περιτίθησι καὶ λεπτὸς καὶ ἀφελὴς βίος, ἴσθι καὶ τούτων τῇ τύχῃ τὴν χάριν. Sententia postulat περιγράφουσι, *tollunt*.

LXXIII (LVI) § 10. ὥσπερ ἂν τυχὸν εἴποι τις καὶ σὲ τοιαύτην προῤῥῆσθαι πρᾶξιν, οὐκ ἀργὸν οὐδὲ Φίλοινον οὐδαμῶς, χρημάτων μέντοι τῶν αὐτοῦ ἀτημελὴς ἴσως κτἑ. Quid hic sibi velit Φίλοινος frustra quaerens, latere suspicor οὐδ' ἀφιλα͞νον, i. e. ἀφιλάνθρωπον, quale quid manifesto requiritur.

Ecce pauca de multis, amice trisaeclisenex, quae quamvis scripta ab aegrotante spero fore ut non *aegri somnia* tibi videantur.

ΞΗΡΟΣ.

ΞΗΡΟΣ

SCRIPSIT

D. C. HESSELING.

Magnum illud commodum quod universa disciplina quae *semasiologia* vocatur e literarum graecarum studiis percipere potest, tunc demum recte agnoscetur cum singulorum verborum vicissitudines ab antiquis temporibus usque ad nostram aetatem diligenter exploratae erunt. Ut quae proposui exemplo demonstrem, pauca de vario verbi ξηροῦ usu exponam [1]).

Iam apud antiquos scriptores graecos ξηρός et proprio sensu et translato dicitur. Ut alia omittam, Aristophanes in Vespis (v. 1452) τροποὺς ξηρούς opponit ei vitae generi quod paulo post τρυφερὸν καὶ μαλακόν vocat [2]); Plutarchus (Quomodo adulator, Moralia ed. Bernard. I, p. 120) monet non esse adulatoris

1) Laudo Carolum Dieterich, v. d., qui in hac investigatione strenue initium fecit disputans eodem de vocabulo ante paucos annos in Museo Rhenano (N. S. LX, p. 236), sed cum in usu hodierno ab antiquo distinguendo nimis angustos fines constituisse neque in vi verborum definienda semper verum vidisse videatur, operae pretium duxi rem retractare. Multa exempla e scriptoribus recentioris aetatis desumpta adieci, e linguis neolatinis ea tantum quibus comparatis significationum transitus melius perspici possunt.

2) Eodem fortasse sensu homo severus et morosus in Antiphanis Athamante (Pollux Onom. 10, 62) ξηρός appellabatur: χλαμύδα καὶ λόγχην ἔχων | ἀξυνακόλουθος, ξηρός, αὐτολήκυθος. V. c. Herwerdenus (Append. lexici gr. supplet. p. 151) putat Antiphanem hanc vocem usurpavisse pro αὐχμηρός, οὐκ ἀλκλιμένος, sed frustra alios quaesivi locos ubi ξηρός eam vim haberet.

τοῖς πράγμασι ξηροῖς καὶ κατεψυγμένοις accedere. Humani corporis maciem eodem vocabulo Euripides (Electr. 239) significat; apud seriores plura exempla invenias (Antipater in Anthol. Palat. XI 327, 1; Luc. Tox. 24; Athen. 320 D). In linguis neolatinis *sec*, *secco* alia eandem habent potestatem (Gallice *un homme sec*). Ab hac verbi significatione Dieterich originem ducit τοῦ ξεροῦ [1]), quod hodie in Creta insula crus indicat (τὸ ξερό, alibi τὸ ξεράδι, quod etiam de manu usurpatur); ego vero usum illum potius virtuti cuidam comicae tribuam, qualem in eiusmodi rebus regnare haud ignotum est [2]); dicunt Graeci recentiores: τράβα τὰ ξεράδια, κάτω τὰ ξεράδια, retrahe crura, tolle manus. Legimus inter paroemia neograeca: ἀΦ' οὗ γεράσῃ τὸ δενδρί, ξεράδια δὲν τοῦ λείπουν (Benizelos, Παροιμίαι, Hermupoli 1867, p. 37, n. 493); itaque partes humani corporis cum ramalibus arborum (ξεράδια) comparari videntur [3]).

Non assentior Carolo Dieterich cum contendit priorem partem vocabulorum ξηρόψις et ξηρόχειρ, quae apud scriptores Byzantinos inveniuntur (Malalas p. 306, 10; Theodorus Studites ed. Migne in Patrol. gr. vol. 99, p. 77 C) vim habere quae antiquioribus ignota esset: „im altgriechischen, inquit, würden diese Bildungen bedeuten: einer der ein *nicht nasses* Gesicht, eine *nicht nasse* Hand hat". Satis est locos commemoravisse quibus in libris Novi Testamenti manus aut totum corpus emaceratum vel tabe consumptum ξηρόν vocatur (Ev. Matthei 12, 10;

---

1) Ξερός, forma hodierna et medii aevi, nihil commune habet cum Homerico ξερῷ. In recentiore graecitate omne iota (ι, η, υ cet.) quod in syllaba accentu carente sono liquido vicinum est saepissime in ε mutatur (Hatzidakis, Einleitung p. 333).

2) Conferatur κάγκανος, „trockenes Holz, magerer Mensch" (C. Dieterich, Sprache und Volksüberlieferungen der südlichen Sporaden, 1908, p. 176, 177).

3) Quid sit ξεροσκάτης (homo sordidae avaritiae, Jannaris, Kreta's Volkslieder, p. 356) alio paroemio explicatur: ξεραίνει καὶ τὸ σκατό του καὶ τὸ κάνει παξιμάδι (Benizelos o. l. p. 174, n. 17).

Ev. Lucae 6, 6; Ev. Johannis 5, 3). Eodem modo vir doctissimus ξηροκέφαλος („der einen trockenen Kopf hat") [1]) distinguit a forma hodierna ξεροκέφαλος („hartköpfig"), sed vix recte. Equidem credo iam Herondae aetate ξηροκέφαλον hominem obstinatum significavisse; hera enim servae dicto eius male audienti minatur τὸ βρέγμα τῷ σκίπωνι μαλθακὸν θῶμαι (Herond. Mimiamb. 8, 9). Nonne his verbis declarare videtur servam suam esse capite „duriore" (Gall. *une personne qui a la tête dure*), quo fiat ut iussa dominae intelligere aut nolit aut nequeat? Concedendum tamen apud Graecos recentiores in verbis cum ξηρῷ compositis notionem duri frequentius reperiri; exemplum allego ξηροκοιτεῖν (Gall. *coucher sur la dure*).

Facile intelligitur e notione *macri, succo carentis* novam significationem *semianimem, mortuum* derivatam esse. Hodie dicitur ἔμεινα ξερὸς σὰν τὸν εἶδα, εἶμαι ξερὸς ἀπὸ τὴν τρομάρα (obstipui), immo ἔπεσε ξερός (cecidit exanimatus; cf. Hispanice *quedar seco*). Papazafiropulos (Περισυναγωγή, Patris 1887, p. 473) ξερσταλίζω interpretatur: ἀναμένω τινὰ μετ' ἀγωνίας, quod optime compares cum Francogallorum *sécher sur pied*, taedio molestiisque consumi. Sed in his quoque lingua hodierna nihil innovavit; iam Aristoteles definivit τὸ ὑγρὸν ζωτικόν, ποῤῥωτάτω δὲ τοῦ ἐμψύχου τὸ ξηρόν, atque apud Theocritum (14, 60) Alcmena complectitur parvum Iphiclem ξηρὸν ὑπαὶ δείους (cf. 8, 44) [2]).

Graecis terra τὸ ξηρόν per excellentiam est et aqua natura ei est opposita; itaque vel res udae si aqua carent ξηραί vocantur [3]). Sudor qui non balneis sed duris laboribus com-

---

1) Usus communis huius vocis vix illustrari mihi posse videtur uno eo loco quem adduxit Dieterich ex Alexandro Aphrodisiensi (Ideler, Physici et medici graeci minores I, p. 6), ibi enim ξηροκεφάλῳ καὶ ὑγροκεφάλῳ peculiares illae significationes tribuuntur quas habent in philosophia Aristotelis quem interpretatur Alexander.

2) Theocritus imitari videtur locutionem Homericam χλωρὸς ὑπαὶ δέους (K. 376).

3) Pocillum vini Conacensis nulla aqua addita nostrates vocant *een droog konjakje*; eodem sensu Francogalli dicunt *un vermouth sec, une menthe sèche* alia.

paratur a Platone ξηρὸς ἱδρώς appellatur (Phaedr. p. 239 C); ξηραλοιφεῖν est oleo ungui nulla aqua admixta, ut luculenter demonstrat Galenus (13, 55) cuius verba, ut hominis in ludis gladiatoriis medicinam exercentis, maiorem habent auctoritatem quam lexicographorum opiniones contrariae. Ξηροφαγεῖν non idem valet ac „cibis siccis vesci", sed abstinere epulis lautioribus (Gall. *faire maigre*); tempore praesertim antepaschali monachi graeci ξηροφαγοῦντες favis aqua emollitis vescuntur [1]), victu profecto tenuissimo, sed minime sicco, ut nomen βρεκτοκούκκια satis ostendit. Summatim ξηρός coniungitur cum omnibus rebus quibus deest id quod vulgo iis attribuitur. Ξηρὸς ἄρτος panis sine obsonio vocatur; ἄρτος ... εὔβρωστος πρὸς ξηροφαγίαν (Athen. 113 B) panis est nullius condimenti indigens; ἄρτος ξηροπυρίτης (Athen. 144 C; cf. Hoffmann, die Makedonen, 1906, p. 12) e tritico puro omni furfure adempto confectus erat; ξηροὶ λίθοι nullo mortario inter se copulantur [2]) (hodie muri hoc modo aedificati ξερολίθια, ξεροτρόχαλοι vocantur); ξηραῖς λέξεσι loqui, intelligere κατὰ τοῦ ξηροῦ, nudis verbis loqui, ad literam accipere, verbis inhaerere valet (Suicerus, Thesaurus ecclesiasticus, p. 443); locus quidam in palatio Constantinopolitano qui ξηροκήπιον nominabatur, „hortus nudus absque palatio nempe hortensi aut suburbano" erat, ut optime interpretatus est Reiskius (de ceremoniis aulae byzantinae II, p. 615) [3]); ξερογελῶ hodie

---

1) Cf. Krumbacher, Studien zu den Legenden des H. Theodosius, p. 370 sq. Veri est simile hanc consuetudinem olim etiam in Occidente non ignotam fuisse; proverbium nostratium *honger maakt rauwe bonen zoet* ita explicandum videtur.

2) Idcirco in arte rhetorica verborum consecutio quae vitat voces copulativas ξηρὰ σύνθεσις vocatur (Demetr. Phaler. § 4); exemplum citatur primum illud Hippocratis apophthegma.

3) Non recte autem eodem loco Reiskius in Theocriti verbis ἐπὶ ξηροῖσι καθίξῃ (1,51) λίθοις supplevit atque interpretatur „in duris lapidibus collocavit, nullo stragulo substrato". Imago e re maritima vel piscatoria desumta est (Gall. *mettre à sec*).

significat risum sardonicum ridere, id est risum cui verum gaudium deest.

His bene intellectis verbum explanare possumus quod in Stephani Thesauro inexplicatum remansit, ξηρόζεμα dico. In Thesauro laudantur tantum verba Boissonadii, qui primus hanc vocem in formula medica (ξηρόζεμα πίνειν) invenit, rogantis: „Est-ce une décoction très réduite, réduite à consistance de rob? Sont ce des pastilles, des tablettes?" Neutiquam, respondeo; res est longe diversa. Ζέμα apud Ptochoprodromum (Legrand, Bibliothèque grec vulgaire I, p. 81, v. 147) *caldam* significat (ζητῶ σαπούνιν νὰ λουθῶ, καὶ λέγουν· μὲ τὸ ζέμα) et Coraïs (Atakta IV, p. 153) ζέματα interpretatur: τὰ Φυσικὰ θερμὰ νερά (*eaux thermales*), ζεματίζω: καίω, περιχύνω μὲ ζεστὸν νερόν (cf. Psaltos, Θρᾳκικά, Athenis 1905, p. 178). Itaque formula ξηρόζεμα πίνειν nihil aliud valet quam „caldam puram bibere".

Multo minus confidenter dicam quid sentiam de alio cum ξηρῷ composito vocabulo quod frustra in lexicis quaeras. Legimus in inscriptione Palmyrena bilingui quae portoria variis mercibus imposita enumerat: κώνευ (id est nucleorum pineorum) καὶ τῶν ὁμοίων ἔδοξεν ὅσα εἰς ἐμπορείαν Φέρεται τὸ τέλος εἰς τὸ ξηρόΦορτον ἀνάγεσθαι ὡς καὶ ἐν ταῖς λοιπαῖς γείνεται πόλεσι. Quid sibi velit hoc praescriptum primus explicare conatus est Schroeder (Sitzungsber. d. Kön. Preuss. Akad. d. Wiss. 1884 I, p. 435 sq.), quem secuti sunt Dessau (Hermes 19, p. 486 sq.) et Dittenberger (Orientis graeci inscript. selectae II, n°. 629), cuius verba adferam: „recentes fructus multo graviores esse quam exsiccatos manifestum est; quare id beneficii conceditur iis qui exportant aut important, ut pro eo modo pondere quod sicci habituri sint, pensio exigatur". Itaque εἰς τὸ ξηρόΦορτον ἀνάγεσθαι „ad pondus oneris sicci reducere" valeret. Confiteor hanc interpretationem mihi non

ab omni parte satisfacere. Jam dubitationem mihi iniiciunt verba Dessavii, viri harum rerum peritissimi, fatentis praescriptum illud [quod „in ceteris quoque urbibus observatur"!] valde esse singulare omnibusque quae de re vectigali apud antiquos populos cognita habeamus esse dispar („unter dem was wir über das Finanzwesen des Alterthums wissen ganz einzig"). Monet in inscriptionibus Palmyrenis omnia ad *γόμον* (*ὀνικόν* vel *καμηλικόν*) referri neque fieri posse ut in portorio solvendo trutina adhiberetur (o. l. p. 513). Quomodo autem si merces non penduntur constitui potest quantum pondus onus quoddam amiserit aut e quo pondere pondus amissum subtrahendum sit? Versio aramaïca neque ponderis neque oneris mentionem facit; teste Schroedero haec tantum praebet: „pro nucleis pineis ... portorium exigatur ut de re sicca" („wie vom trocknen").

Sed his omnibus multo gravius est significationem quam verbo tribuit Schroeder non quadrare alio loco ubi idem vocabulum invenitur. In libro de Vita S. Johannis Misericordis, archiepiscopi Alexandriae, Leontius Neapolitanus narrat Johannem quondam gravissimam iacturam fecisse; tredecim enim naves eius turbulenta tempestate adeo affligebantur ut omnes merces impositae in mare deiici deberent. Deinde sic pergit: *ἦν δὲ ἡ ὁλκὴ πολλὴ πάνυ τῶν ἐνθηκῶν αὐτῶν. εἶχον γὰρ ξηρόφορτα ἱμάτια καὶ ἄργυρον καὶ ἕτερα πράγματα ἀνώτερα, ὡς συμψηφισθῆναι τὸν ὄγκον τοῦ ἀπελθόντος εἰς ἀπώλειαν ποσοῦ κεντηναρίων τριάκοντα τεσσάρων* [1]). Anastasius qui saeculo nono Vitam

1) Leontios' von Neapolis Leben des H. Johannes des Barmherzigen, ed. H. Gelzer, Friburgi / Lipsiae, 1893, p. 60. Gelzer in glossario quod libro adiecit *ξηρόφορτα* cum verbo sequenti coniunxit atque haesitans interpretationem *ξηρόφορτα ἱμάτια* „trocken tragende (etwa Waterproof) Kleider" recepit. Nihil attinet demonstrare per errorem hanc explicationem propositam esse; satis est alium locum allegare ubi simili locutione usus est Leontius: *ἐκλέξασθε ... ἀντίφορτον κασσίτερον* (p. 19, 19). Obiter alium errorem in glossario corrigamus; *πιστικός* (p. 55, 4; 60, 18) non *creditor* (Gläubiger) sonat sed *magister navis* (cf. Basilicae ed. Heimbach 53, tit. 8, § 4: *πιστικός ἐστιν ὁ πᾶσαν ἐπιμέλειαν τοῦ πλοίου ἐπιτραπείς*).

S. Johannis Misericordis Latine vertit hunc locum hisce verbis reddidit: „erat autem summa multa valde enthecarum suarum. Habebant enim tantum vestimenta et argentum et alias res altiores ut computaretur pondus quod ivit in perditionem centenariorum triginta quatuor". Anastasium labori quem susceperat imparem fuisse perspicuum est; multa male intellexit, multa legibus utriusque linguae violatis serviliter ad verbum transtulit, saepe, ut ipsius verbis utar, satis habuit „non verbum e verbo, sed sensum e sensu excerpere", id quod nostro quoque loco fecisse videtur. Uno saeculo post Symeon Metaphrastes qui Vitam Johannis a Leontio descriptam in compendium contraxit non melius quam Anastasius verbum obscurum intellexit; nihil habet nisi: *τρεῖς καὶ γὰρ ἐπὶ δέκα νῆες ἦσαν τῆς κατ' αὐτὸν Ἐκκλησίας, αἵτινες Φόρτου πλήρεις, ὅτε τῷ τοῦ Ἀδρίου προσέσχον πελάγει, ναυαγίῳ πᾶσαι κατ' αὐτὸν περιπίπτουσι, καὶ ὁ Φόρτος ἅπας ἀπόλλυται τριακοσίων τε καὶ τρισχιλίων οὐσῶν τοῦ χρυσίου λιτρῶν* (Patrol. gr. ed. Migne 114, col. 944).

Quae vera sit vocabuli potestas equidem accurate definire nequeo, sed libenter credam hic quoque *ξηρόν* virtutem quandam habere negativam; *ξηρόΦορτον* mihi significare videtur *onus purum*, subductione facta omnium quae accedere possunt. Itaque apud Leontium merces quibus naves oneratae erant opponuntur armamentis, frumento, omnibus denique quae nautis necessaria sunt neque ipsum onus navis constituunt; ea de causa vestes, argentum, cetera *ξηρόΦορτα* („de eigenlike lading") vocantur. In inscriptione Palmyrena vero suspicor praescriptum fuisse ut ab iis qui nucleos pineos aliosve fructus viliores important de simplici onere exigeretur portorium („ad purum onus reducatur"), idem semper, sive onus magnum sive parvum esset. Pro ceteris alimentis, ut legimus in iis quae praecedunt, *τὸ κατὰ τὸν νόμον τοῦ γόμου* [*ὀνικοῦ*] *δηνάριον*

poscebatur; iis autem qui nucleos pineos invehebant unus tantum denarius solvendus erat, etiamsi totum onus („de gehele partij") pluribus γόμοις consisteret.

Concedo versionem aramaïcam Schroederi interpretationi magis favere quam meae; observandum tamen versionem illam, ut ipse nos docet Schroeder (o. l. p. 420 sq.), verba graeca serviliter reddere nec vitiis carere. Verisimile est neque interpretem aramaïcum neque Anastasium neque Symeonem Metaphrasten vocabulum rei mercatoriae proprium satis intellexisse; contendere nolo me omnes difficultates solvisse, spero tamen me propius ad rectam cognitionem verbi accessisse.

In linguis neolatinis usus vocabulorum quae a verbo *sicco* originem trahunt fere idem est. Exempla adfero e lingua Gallica *un vin sec* [1]) (vinum parum succidum), *un mur sec* (murus sine mortario aedificatus), *une perte sèche* (damnum quod nulla re compensatur), *de l'argent sec* (pecunia quae nullo dispendio percipi potest), *pecunia sicca* (Ducange), cf. Anglice *dry money*, paid in hard cash (Murray); *boire sec* (proprio sensu merum bibere, sed hodie potare). Portogalli *uma arvore secca* malum sine velis, *uma batalha secca* proelium inane vocant. Alia multa in lexicis reperiri possunt.

Superest ut agam de nonnullis compositis neograecis in quibus ξηρός potestatem habet peculiarem, eamque solam quae ab usu scriptorum antiquioris aetatis aliena videtur. Ipsa forma vocabulorum illorum seriorem graecitatem demonstrat, nam pleraque legem quae nomine Scaligeri nuncupatur violant: ξερογλείφομαι, ξεροκαταπίνω, ξεροκαυλώνω, ξεροκεντία, ξεροκοκκινίζω, ξερομασσῶ, ξεροσφουγγίζομαι, ξεροτανύζομαι, ξεροχαμνίζομαι, ξεροχτενίζομαι. Postremum verbum totam seriem

1) Est vinum in Hispania praecipue confectum ex uvis, quibus ardor solis dimidium fere succi abstulit.

explicare potest. Est proverbium neograecum *ὁ κόσμος ἐποντίζετο καὶ ἡ γριὰ ξεροχτενίζετο*, id est: mundus peribat et mulier capillos comebat [1]). In aliis quoque proverbiis idem verbum occurrit: *ὅσο θέλεις, μαύρη, νίψου | καί, σγουρή, ξεροχτενίσου· | τσ'ἀσχημάδες σου δὲ βγαίνεις, | τοὺς παράδες σου τους χάνεις* (frustra lavaris, mulier nigra, frustra, fusca, capillos comis: turpitudinem tuam non pellis, pecuniam tantum tuam perdis). Prope eodem sensu dicitur *ὅσο θέλεις, γέρο, νίψου καί, γριά, ξεροσφουγγίζου* (Benizelos, *Παροιμίαι*, p. 229, n. 772); nempe nequiquam conabimur mutare quod natura nobis proprium est, vel, ut proverbio graeco utar: *ὅποιος γεννιέται μελανός, ποτέ του δὲν ἀσπρίζει* (Benizelos o. l. p. 206, n. 423). Sed ad proverbium quod prius citavimus redeamus. Manifestum est *ματαιοπονίαν* notari mulierculae quae in summa calamitate de vanis et inanibus cogitet [2]). Ut ostendam *ξηρόν* eandem habere vim in omnibus compositis quae enumeravi semperque significare inanitatem, labores inceptaque irrita, singula verba repetam additis quae lexicographi ad voces explicandas annotaverunt. *Ξερογλείφομαι*: *se lêcher les lèvres en signe de convoitise*, itaque inaniter sibi labra lambere (Vlachos); *ξεροκαταπίνω*: *ἑτέρου ἐσθίοντος καταπίνειν τὸν σίαλον*, *avaler à vide*, translate *être interdit* (Byzantios, Vlachos); *ξεροκαυλώνω*: *ἄνευ ἐξωτερικῆς ἀφορμῆς καυλώνω, ἐρεθίζομαι* (Sakellarios, Cypriaca II, p. 682); *ξεροκεντία· ἄνευ ἐξωτερικοῦ σημείου ἐν τῷ σώματι πόνος* (Sakellarios ibidem); *ξεροκοκκινίζω*: *rougir de honte*

1) Krumbacher (Mittelgriechische Sprichwörter 1893, p. 171) varias formas eiusdem proverbii commemorat; quae sententia sub prima parte vocabuli subiicienda sit so parum intelligere confitetur.

2) C. Dieterich aliam proposuit explicationem. Eo iudice *ξηρός siccum*, denuo *durum*, *raucum*, postremo *vexatum*, *quod fit enize* (gequält, mit Anstrengung) significat; „was nun mit Anstrengung geschieht, ut ipsis verbis v. d. utar, das hat keine natürliche innere Veranlassung, es wird zur Mache, zum Schein". Itaque proverbium sic vertit: „die alte kämmte sich zum Schein die Haare um sich nicht merken zu lassen, dass sie auch durch das allgemeine Unglück betroffen ist".

(Vlachos, Legrand) [1]); *ξερομασσῶ*, *mâcher à vide* (Byzantios, Vlachos); *ξεροτανύζομαι s'étendre en baillant*, *ξεροχαμνίζομαι* [2]) *bâiller*, itaque oscitando inaniter membra porrigere et os aperire (Byzantios, Somavera). Quod siccum, aridum, sterile est optime notionem inanitatis assumere potest, neque haec verba longe distant ab iis in quibus *ξηρός* inopiam quandam denotat.

In lingua hodierna *ξερός* proprio sensu haud raro invenitur, non tantum in compositis, ut docet Carolus Dieterich. (*ξεροπόταμο*, *ξερομύτης*, *ξεροβήχω* [3])). Nego *στεγνόν* in locum *ξηροῦ* successisse; ita hodie duo haec vocabula inter se differunt ut *ξηρόν* significet quod natura siccum est [4]), *στεγνόν* vero quod est siccatum: semper oculos habere *ξηρούς* viri ferrei est, qui lacrymas abstersit *στεγνούς* habet oculos.

---

1) Non recte Dieterich vertit „das falsche Erröthen"; *ξεροκοκκινίζω* valet erubescere qualicunque de causa, *κοκκινίζω* autem natura os rubicundum habere. Testes denuo adduco duo proverbia: *ξεροκοκκίνισμα ἡ προσωπίδα του δὲν ξέρει* (Benizelos o. l. p. 175, n. 32, *εἰς ἀναίσχυντον*), *κοκκινίζει σὰν τὸν ἀστακό* (Benizelos o. l. p. 143, no. 396, *ἐπὶ εὐρώστων*).

2) Altera pars huius verbi a *χαυνῶ*, *χαυνίζω* (relaxare, molliter aperire) derivata videtur; *ξεροκαμνίζομαι*, quam formam habet Ducange, errori debetur. Quod ad diphthongum in *αμ* mutatam attinet, conferantur formae hodiernae *ἀχαμνός* et *λάμνω* e *χαυνός* et *ἐλαύνω*. — *Ξεροχαμνίζομαι* prorsus idem valet ac *ξηροχασμῶμαι* quod legitur apud Ptochoprodromum (Legrand, Biblioth. gr. vulg. I p. 77, *v.* 48).

3) *Ξεροβήχω* est sicca tussi laborare. Usurpatur etiam pro „ficta tussi signum dare alicui" (Sakellarios, Cypriaca II, p. 682), sed ea significatio e nativa deducta est; non dici potest *ξεροβήχω* proprie sonare „mit Anstrengung husten".

4) Eadem de causa apud antiquos auctores *καρποὶ ξηροί* frumenta significare videntur; *καρποὶ ὑγροί* olera sunt et legumina (Xenoph. Oec. 5, 20; Plato Critias p. 115 A).

DE DILECTIBUS A TRIBUNO PLEBIS IMPEDITIS.

De dilectibus a tribuno plebis impeditis.

SCRIPSIT

G. E. W. VAN HILLE.

Livius 4, 53 haec habet: dilectum habentem Valerium consulem M. Menenius tr. pl., legis agrariae lator, cum impediret, auxilioque tribuni nemo invitus sacramento diceret .... decreto interposito novem tribuni sustulerunt certamen pronuntiaveruntque ex collegii sententia C. Valerio consuli se, damnum aliamque coercitionem adversus intercessionem collegae dilectus causa detractantibus militiam inhibenti, auxilio futuros esse. hoc decreto consul armatus cum paucis appellantibus tribunum collum torsisset, metu ceteri sacramento dixere.

Cum auxilium sit vox sollemnis intercessionis magistratus a cive appellati (Caes. b. c. 3, 20), credo Livium l. c. iura auxilii et vetandi confudisse et Menenium minime a civibus auxilio vocatum ob iniustum consulis decretum intercessisse sed, ut ipse § 6 profitetur, politicas ob causas consulem dilectum habere vetuisse, minitando se eum, simulac civem arripuisset, in vincula ducturum.

Quam opinionem ut confirmarem, quidquid de intercessione et de iure vetandi in dilectibus habendis invenire potui, in hac disputatione examinavi, quam tibi, clarissime Naber, LXXX annum explenti, munusculum qualecunque oblatam velim.

Anno 193 cum milites frequentes stipendia emerita aut morbos excusantes tribunos plebis adirent, ut causas suas cognoscerent, senatus decrevit tumultum esse neque placere tribunos causas militares cognoscere, quo decreto commoti tribuni auxilium non tulerunt (Liv. 34, 56).

Anno 171 (Liv. 42, 32—35) cum tribuni militum centuriones citarent, XXIII ex iis, qui primos pilos duxerant auxilium tribunicium invocarunt aegre ferentes sibi inferiores ordines attribui. Duo tribuni plebis ad consules rem reiciebant: eorum cognitionem esse debere, quibus dilectus mandatus esset. Ceteri, cognituros se, de quo appellati essent, aiebant et si iniuria fieret, auxilium civibus laturos. Tamen centuriones appellatione sua destiterunt, quamvis luculenter unus ex iis ad subsellia tribunorum ius suum exposuisset.

Ex his exemplis apparet veluti in controverso iure fuisse, utrum intercessio in dilectibus valeret necne. Nam ipsi tribuni anno 171 dissentiebant hac de re et traditum est anno 473 (cf. Liv. 2, 55, 4; D H 9, 39) tribunos caede Genucii perterritos Voleroni auxilium invocanti morem non gessisse. Praeterea constat in tumultu vacationes non valuisse (Cic. Phil. 8, 3) et in bellis gravioribus consulem cognitiones vacationum post bellum differre potuisse (Liv. 3, 69, 6 s.). Ubi autem tribuni civibus auxilio sunt, veluti anno 171, videmus eos tanta diligentia causas cognoscere, ut pateat in narratione, unde egressa est nostra disputatio, de intercessione sermonem esse non posse, nam quas excusationes afferrent cives illi, aut unde tempus sumerent tribuni tot hominum causas cognoscendi, aut quid dicerent, cum appareret causas nullius esse pretii? Denique intercessionem non causis civium appellantium sed rationibus politicis obnoxiam facere auxilii tribunicii origini et naturae repugnat.

Ab altera parte exempla praesto sunt tribunorum ius suum vetandi nulla appellatione sua sponte exsequentium.

Anno 110 Sp. Postumius consul senatum consulebat de foedere a fratre cum Iugurtha icto et interim exercitui supplementum scribebat. Reiecto autem foedere a senatu tribuni consulem copias secum portare vetuerunt eumque sine novis militibus in Africam proficisci coegerunt (Sall. B. I. 39).

Anno 60 Metellus consul legi agrariae Flavii repugnabat. Post varias contentiones Flavius pronuntiavit se eum, nisi legem fieri pateretur, vetiturum in provinciam proficisci; Metellus Flavio cum morem gerere nollet, domi mansit (Dio Cass. 37, 50, 4).

Imprimis utilia sunt quae anno 55 evenerunt. Ateius tr. pl. legem Treboniam impedire non potuerat obnuntiatione et intercessione contra rogationes lege Clodia sublatis neque auspiciis ementiendis plus profecerat; dein Pompeius contra tribunorum conatus dilectum faciendum curaverat; denique Ateius postquam frustra denuo auspiciis ementiendis in Capitolia Crassi sacrificium impedire conatus est, Crassum proficiscentem in vincula ducere parans collegarum intercessione est prohibitus (Dio Cass. 39, 33—36. 39).

In his certaminibus de auxilio contra profectionem Postumii, Metelli, Crassi lato sermonem esse non posse luce clarius est; at contra tribunos pro potestate sua consules vetuisse incepta perficere apparet.

Dilectus autem neque anno 110, neque anno 55 tribuni impedire valuerunt. Antequam de hac re statuamus, videamus, quid de aliis dilectibus impeditis notum sit:

Anno 169 (Liv. 43, 14), cum dilectus habendi maior quam alias cura esset, Marcius Servilius consules in senatu plebem accusabant, quod et iuniores non responderent. De excusationibus mentio nulla fiebat, sed postulantibus tribunis dilectus

a senatu praetoribus mandatus est. Cum hic non narretur tribunos indulgentia nimia consulum improbata dilectum prohibuisse, legimus bis consules a tribunis in vincula ductos esse: anno 151, quod pro amicis nonnullis vacationem impetrare non potuissent (Liv. Ep. 48) et anno 138, quod impetrare non potuissent ut sibi denos quos vellent milites eximere liceret (Liv. Ep. 55); quae vis a Cicerone (de Leg. 3, 9, 20) sine dubio non esset reprehensa, si revera de intercessione neque de ambitione illicita ageretur.

Cum apud Dionem legimus de Metello, intellegimus eum a Flavii vexationibus auxilio tribunicio se defendere potuisse, quod quominus invocaret ferocitate animi impediretur. Ubi igitur tribunos consules non morari videmus, statuendum est eos aut a collegis prohibitos esse aut intercessionem expectantes ne periculum quidem fecisse.

Haec igitur si bene disputavimus, apparet intercessionem prorsus inutilem esse ad dilectus impediendos; cum autem impeditiones tribuniciae intercessione collegarum infirmentur ita, ut unus tribunus vel adversus omnes satis esse dicatur (Liv. 2, 44, 3) ex iure intercessionis sensu proprio illae impeditiones duci non possunt. Intercessione enim rescinditur decretum consulare neque potest intercessioni intercedi. Itaque, — ut ad narrationem Livianam, unde egressi sumus, revertamur — fac Menenium, quod a natura intercessionis alienum esse vidimus, revera intercessisse, collegae sua intercessione nihil egissent et consul post magistratum suum perduellionis reus factus esset. Ab hoc periculo neque decretum tribunorum eum defendere poterat neque Mommseni interpretatio dicentis (S R I p. 289) intercessionem non contra intercessionem sed contra coercitionem tantum intendi. Sin Menenium iure vetandi usum esse statuimus, quod coercitione

tantum tueri poterat, et collegas eum intercessione reiecisse, narratio bene procedit neque quicquam habet quod nos offendat.

Postquam igitur allatis rebus quarum constat fides historica ordinem rerum a Livio haud recte intellectum, restituimus, videamus num reliqua exempla dilectuum impeditorum e temporibus priscis tradita cum explicatione nostra conveniant.

Anno 485 tribuni dilectum impedituri quiescebant veriti ne dictator diceretur (D H 8, 81).

Anno 483, cum C. Maelius tr. pl. dilectum impediret, consules, teste Dionysio (8, 87), dilectum habebant in campo Martio, *περιγέγραπται γὰρ αὐτῶν* (sct. *τῶν δημάρχων*) *τὸ κράτος τοῖς τείχεσιν*. Fugit Dionysium dilectus postea quidem semper habitos esse in campo neque Maelium loco sed intercessione collegarum esse impeditum (cf. Mms. S R I p. 67 sqq.).

Anno 481 Sp. Licinius rem militarem impediendam susceperat .... nec in eum consules acrius quam ipsius collegae coorti sunt, auxilioque eorum dilectum consules habent (Liv. 2, 43, 3 sq.; cf. D H 9, 1); eadem recurrunt anno 480 (Liv. 2, 44, 1—6; D H 9, 5); neque quicquam novi afferunt quae Dionysius habet (9, 18) de populi parte seditiosa primo quidem militiam detractanti sed postea nomina danti.

Anno 461 vis orta est, cum consules quendam arriperent neque iussu tribunorum omitterent; nemo enim e tribunis consuli auxilio erat, cum omnes consentirent; hic quoque voce auxilii Livius (3, 10, 9 et 14. 11, 1—3) abutitur, nam consul a tribunis petitur, vetantibus iis dilectum peragere conatus.

Anno 460 consul tribunos ludificare conatur dicens sibi dilectu opus non esse, quod cives religione obstrictos habeat et iubet eos crastina die ad lacum Regillum adesse, ubi tribuni nil possunt (Liv. 3, 20; D H 10, 18). Tamen transactio initur (Liv. 3, 21, 2), cuius rei quae alia causa inveniri potest, nisi

metus consulis, ne tribuni se ex urbe proficisci vetent? Anno 458 reclamantibus frustra tribunis consules dilectum peragunt freti voluntate civium (Liv. 3, 25, 9. 26, 1).

Anno 457 tribuni dilectum fieri passi sunt ea condicione, ut X tribuni deinde crearentur. Livius auxilii vocem denuo perperam adhibet (3, 30, 3 sqq.), sed verba Dionysii (10, 26. 28. 30) nullam dubitationem relinquunt: ... *οὔτε τῶν δημάρχων συγχωρῆσαι βουλομένων τὴν καταγραφὴν καὶ τὴν ἔξοδον τῆς στρατιᾶς γενέσθαι.*

In contentionibus anni 455 ab utraque parte vim factam esse narrat Dionysius (10, 33. 34. 35. 43. 48 sqq.). Nihili sunt verba tribunorum dicentium: sibi solis ius esse vacationes tribuendi, pariter ac consulum: tribunis tantum auxilii lationem esse; nisi quod hinc apparet de auxilio tribunicio loco nostro non agi. Tribuni a consulibus vi repulsi a senatu petunt ut consules iudicio plebis se subicere iubeat, quod sacrosanctam potestatem violassent; id quod senatus suo more non permittit. Tribuni, cum alii suaderent, ut secessionem facerent, alii, ut consules de rupe deicerent, alii, ut in sectatores consulum saevirent, nihil faciunt; quin etiam litem de multa precibus seniorum commoti omittunt; denique patriciorum nonnullorum, qui contiones plebis perturbabant, bona consecrant. De appellationibus civium tam nullus sermo est ut interea cives — quorum amorem patriae senatus imploraverat — sua sponte nomina dent et dilectus habeatur neglectis tribunorum reclamationibus. Anno sequenti uterque consul accusatur et damnatur (cf. Liv. 3, 31, 2—6), nectamen de dilectu neque de potestate sacrosancta violata lis est sed de rebus a consulibus bello male gestis.

Anno 445 Canuleius denuntiavit (Liv. 4, 1, 6; cf. 12, 5. 30, 15) se dilectum impediturum, quod facere non potuisset si appellationem civis expectare debuisset; nectamen sine tali

appellatione intercedi licebat, ut contra senatusconsulta (Liv. 4, 6, 6; DH 11, 54). Valerius Potitus ordines reconciliavit tribunis suadendo ne amplius dilectum, patribus ne Canulei rogationes impedirent (DH 11, 59); de privatorum querelis ne sermo quidem est.

Anno 409 (Liv. 4, 55, 2—7) tribuni dilectu impediendo et civibus avocandis impetraverunt, ut senatus comitia tribunorum militum iuberet.

Anno 380 Livius (6, 27 sq.) inducit tribunos minitantes se neque addici quemquam ob pecuniam creditam neque dilectum haberi passuros; addictionibus autem intercedere non poterant, quoniam debitores nullam praebebant intercedendi facultatem, itaque vetabant tribuni duci addictos neque nomina dabant iuniores haud ignorantes tribunos consulum coercitionem impedituros; tandem metu dictatoris tribuni quievere.

De contentionibus anni 378 tradit Livius (6, 31, 4 sq.) dilectui moram non esse factam levatione tributi et iuris pecuniae creditae plebi data; sed ad annum 370 neque causam neque finem contentionis commemorat (6, 36, 3 sq.).

Ut iam finem faciam, statuere, ni fallor, mihi licet in omnibus his fabulis de auxilio tribunicio sermonem esse non posse, quod contra iniusta magistratuum decreta nonnisi appellatione civis ferri potest neque nisi bene perpensis causis eius ferri solet; sed cum in omnibus hisce tum in narratione Livii, de qua agitur, tribunos egisse ex iure suo vetandi acta magistratuum, quod sua sponte politicas ob causas et exercent et remittunt quodque intercessione collegarum magistratui auxilio venientium vel ignavia populi tribuno nullam coercitionis inhibendae occasionem praebentis, irritum fieri potest.

DE PYTHIIS BIPARTITO ACTIS.

De Pythiis bipartito actis.

SCRIPSIT

A. E. J. HOLWERDA.

Pythiade 28ª, qua Thrasydaeus Thebanus in Pythiis vicit stadio puerorum, sine dubio certamina gymnica Pythiorum non Delphis ipsis agebantur sed in planitie Cirrhae, ad quam Delphis, — quae urbs in locis montuosis sita ei imminebat, — descendere debebant, qui inire haec certamina vellent. Pindarus enim in Pythia XIª, quam ad hanc victoriam celebrandam cecinit [1]), puerum hunc σταδιοδρόμον vicisse dicit in ἀγῶνι Κίρρας (v. 12) ac athletas certasse ὠκύτατι Πυθοῖ ἐπὶ στάδιον καταβάντας (v. 49). Idem significatur in Pythia hac XIª antiquiore, Xª in honorem Hippocleae qui Pythiade 22 puer vicit diaulo, ubi verba βαθυλείμων ὑπὸ Κίρρας ἄγων πέτραν κρατησίποδα Φρικίαν (v. 16) recte Christ sic interpretatur ut Phricias Hippocleae pater vicisse dicatur cursu armato in herbosa Cirrhae planitie quae rupi (i. e. Cirphi) subjacebat [2]). Notum tamen est posterioribus temporibus in proxima vicinia Delphici fani exstitisse stadium in loco qui nunc Laccoma dicitur, quod stadium jam diu a pluribus viatoribus animadversum nostra

---

1) Non spectare hanc Pythiam ad victoriam a Thrasydaeo in virorum diaulo reportatam Pythiade 33ª satis videtur constare; vide Christii in Pindari editione ad Pythiam hanc prooemium.

2) Sic locum jam intellexerat A. Mommsen Delphika p. 202 [1]). Recte Christ βαθυλείμων pro nominativo habet, non accusativo, ut rejiciat interpretum βαθυλείμων'.

aetate a Franco-Gallis accurate exploratum est. Hippodromum vero multis etiam saeculis post Cirrhae vidit Pausanias ibique etiam tunc equestria certamina agebantur. Pausaniae verba (X 37, 4) haec sunt: ἐς δὲ Κίρραν τὸ ἐπίνειον Δελφῶν ὁδὸς μὲν σταδίων ἑξήκοντά ἐστιν ἐκ Δελφῶν· καταβάντι δὲ ἐς τὸ πεδίον ἱππόδρομός τε ἐστι καὶ ἀγῶνα [Πύθια] [1]) ἄγουσιν ἐνταῦθα τὸν ἱππικόν.

Inest in loco illo celeberrimo Sophoclis (Electr. v. 680 sq.), quo Orestis in Pythiis certamina gymnica et equestria describuntur, difficultas quaedam, quae levior quidem videri potest, tamen aeque requirit, ut tollatur. In Pythiis sine dubio equestria certamina veniebant post gymnica. Orestes, postquam in gymnicis vicit, iniit equestria alio die, ἄλλης ἡμέρας, multo mane ἡλίου τέλλοντος v. 698 sq. Vulgo creditur postquam certamina gymnica finita sint, continuo postero die a primis inde diei horis habita esse equestria. Nec mirum. Quae enim certamina ad unos eosdemque ludos pertinerent, haec cogitare magis in promptu est per plures continuos dies fuisse acta, quam longiore dierum intervallo in duas partes fuisse distracta. Quod tamen si ita est, offendit illud ἄλλης ἡμέρας. Nam quamquam dies posterus quoque ἄλλη ἡμέρα est, tamen ea quae postero die acta sunt improprie acta esse dicuntur alio quodam die, ἄλλης ἡμέρας. Inesset igitur hic Sophoclis quaedam in oratione socordia. Poetam enim plane nesciisse, quo modo fere Pythia suo tempore ordinata essent, nemo crediderit [2]).

---

1) Πύθια manifesto scholion est quod in textum irrepsit.

2) Mommsenus Delphika p. 205 [1]) rem sic explicat ut certamina gymnica distributa fuisse sumat per duos dies, quorum prior destinatus fuerit δρόμοις, ἱππίῳ et πεντάθλῳ, alter πάλῃ, πυγμῇ, παγκρατίῳ, ὁπλίτῃ. Cum igitur Orestes in certaminibus prioris diei vicisset, dici potuisset ἄλλης ἡμέρας iniisse certamina equestria, quae post alterum demum certaminum gymnicorum diem secuta essent. Sed parum verisimile est Delphis sic plus temporis certaminibus gymnicis impertitum fuisse quam Olympiae. Praeterea sic plane non intelligitur, qui fieri potuerit ut ὁπλίτης, cui tantum praecessissent πάλη, πυγμὴ, παγκράτιον, in noctem, ut mox videbimus, protrahi soleret. Utut tamen est explicatio haec meam, quam infra exponam, expleret potius quam tolleret.

At, si quid video, claudicat potius aliquid in virorum doctorum de Pythiis doctrina, quam in oratione Sophoclea. Primum satis constare videtur certamina gymnica Delphis in serum vesperis perduci solita esse. Ὁπλιτῶν enim cursui, quod certaminum gymnicorum erat ultimum, offerre faces in more erat. Nam legimus apud Heliodorum Aethiop. III, 18: τοῖς ὁπλίταις δρομεῦσι δᾷδας ἀναφαίνειν καὶ βραβεύειν τὴν ζάκορον (Artemidis sc.) νόμιμον. Ac deinde ubi certamina gymnica Pythica describit (IV 1 sq.) facit Artemidis antistitem Charicleam, simulatque ὁπλῖται a praecone ad certamen vocati sunt, in stadio apparere altera manu gerentem palmam altera facem, qua stadium illuminabat. Init certamen Theagenes, quem amat et a quo amatur. Vincit hic, tendit ad eam palmam gerentem et quasi impetum continere non possit, de industria in ejus pectus collabitur ejusque manum clam osculatur [1]). Sic Heliodorus. Neve dicat quis haec ejus certamina gymnica Pythiorum fuisse plane commenticia. Nam eum aliquem finxisse ludum Pythicum a veris Pythiis plane diverse ordinatum, hoc cogitari vix potest. Quid quod fabulae lepos quodam modo concidit, si Artemidis antistiti in vero certamine ὁπλίτῃ nullae tales stadii illuminandi partes fuerunt. Satis igitur constare videtur ὁπλιτῶν δρόμον, certaminum gymnicorum ultimum, agi solitum fuisse post occasum solis.

Deinde acrius examines hunc titulum saeculi fere secundi a. Chr. n., qui Delphis effossus est (Bull. Corr. Hell. 1894 p. 84).

Σάτυρος Εὐμένους Σάμιος·
τούτωι πρώτωι συμβέβηκεν μόνωι
ἄνευ ἀνταγωνιστῶν αὐλῆσαι

1) In initio libri IV antequam cursus ὁπλιτῶν iniretur, ὁ Πυθίων ἀγών dicitur λήγειν, excipi a certamine cui Eros praecesset, quod nemo sic intelliget, quasi hic cursus ad Pythia non pertineret. Jocose tantum dicitur hunc qui tunc ageretur, ὁπλιτῶν cursum, vere Pythia non amplius fuisse sed ludum quendam Amoris.

τὸν ἀγῶνα, καὶ ἀξιωθέντα ἐπιδοῦναι τῶι θεῶι καὶ τοῖς Ἕλλησι μετὰ τὸν γυμνικὸν, τῆι θυσίαι ἐν τῶι σταδίωι τῶι Πυθικῶι αἶσμα μετὰ χοροῦ Διόνυσον καὶ κιθάρισμα ἐκ Βακχῶν Εὐριπίδου.

Satyrus igitur, qui in musico certamine vicerat, post exacta certamina gymnica τῇ θυσίᾳ ἐν τῷ σταδίῳ τῷ Πυθικῷ ἐπιδόσεως loco post ea quae in ipso certamine protulerat, delectare dignatus est et Deum et Graecos canendo cum choro canticum quoddam cui nomen erat Διόνυσος et cithara canendo citharisma ex Euripidis Bacchis. Jam quaeritur quaenam fuerit illa ἡ θυσία, quae manifesto ex certis erat Pythiorum caeremoniis. Apparet fuisse sacrificium victorum, qui in eorum κώμῳ, ut dicebatur Olympiae, altare aliquod adibant ut privatim Deo propter victoriam reportatam agerent gratias. Κώμου autem alicujus naturae optime convenit illa certaminis musici privata et tamquam tumultuaria iteratio. Κώμῳ hoc simul et musica et gymnica certamina terminabantur; victores enim in musicis, ut titulus noster docet, non post sua musica sed post gymnica certamina comissabantur. Certamina igitur musica et gymnica tanquam unum separatum festum conficiebant, quod eodem κώμῳ terminaretur. Sed vidimus ipsa certamina gymnica finem demum habuisse satis diu post occasum solis, haec sequebantur κῶμοι omnium in musicis et in gymnicis victorum, qui igitur quemadmodum Olympiae in multam noctem protrahebantur. At deinde tota πανήγυρις loco moveri debebat ac Cirrham descendere, ubi Pythia tamquam de integro instauranda erant, scilicet habenda erant certamina equestria. Haec tamen a primis diei horis, τέλλοντος ἡλίου incipiebant. Si igitur jam proximo post κῶμον die equestria certamina Cirrhae agebantur, raptim paucis nocturnis horis haec Cirrham transmissio

fieri debebat. Quod unquam factum esse parum probabile est. Si vero equestria a gymnicis unius pluriumque dierum intervallo separabantur, jam patet quomodo Orestes apud Sophoclem post gymnica ἄλλης ἡμέρας iniisse equestria certamina dici potuerit.

Aetate igitur Sophoclis ludi Pythici bipartito agebantur. Animadverteris tamen temporibus quoque anterioribus in duas partes eos divisos fuisse, tunc tamen certaminum distributione diversa. Pindari enim aetate, ut vidimus, Cirrham non post sed ante certamina gymnica descendebatur. Sed jam perspicitur quomodo res se habuerit. Post bellum sacrum instituta Delphica pro magna parte ad exemplum Olympicorum renovata sunt (590 a. Chr. n.). Tunc quoque Olympia arcessita sunt et gymnica et equestria certamina. In proclivi tamen et angusto Delphici fani solo nulli prorsus inveniebantur loci ad condenda stadium et hippodromum idonei. Alii quaerendi erant ab ipso fano remotiores. Sponte se offerebant arva Cirrhaea quae brevi tunc post ipsum illud bellum Deo consecrata erant, in quibus igitur ut in ipsius Dei dominio haec certamina agi possent. Cirrhae igitur tunc et stadion et hippodromus exstruebantur. Postea tamen in Laccomate illo immensis laboribus stadium parare successit. A quo igitur tempore Delphis ipsis gymnica quoque agebantur, equestrium tantum causa descendebatur Cirrham, ubi Pausanias adhuc vidit hippodromum.

Quonam autem tempore hoc stadium Delphicum paratum sit, jam ex iis satis constare quae exposui, intellexeris. Nam Pythiade adhuc 28ª (478 a. Chr. n.) descendi Cirrham ad certamina gymnica moris fuisse e Pindaro cognovimus. Quo tempore vero Sophoclis Electra primum data est gymnica certamina manifesto jam agebantur ipsis Delphis. Quamquam igitur de hoc Electrae tempore non constat, stadium tamen

Delphicum aut brevi ante aut brevi post saeculi V dimidium exstructum esse pro certo statuere possumus. Quod mirum in modum aliunde affirmatur. Etenim Homolle longe diversis indiciis inductus idem tempus proposuit (Bull. Corr. Hell. 1899 p. 611). Exstat Delphis murus ad sustinendam ingentem stadii molem aliquando instructus; qui murus stadio non esse junior videtur, certissime non antiquior. Jam in hoc muro incisa est inscriptio, quae ad certamina gymnica spectat (legas eam apud Homolle). Inscriptio haec certissime incisa est postquam murus est aedificatus. Lapis enim, qui eam habet incisam, forma sua probat se plane integrum in murum illatum esse, non in alium quendam usum unde has litteras contraxisset adhibitum fuisse antequam murus exstrueretur. Jam igitur haec inscriptio, ut forma litterarum docet, sine dubio pertinet ad saeculi quinti partem dimidiam priorem. Quocirca quin tunc fere etiam murus et ipsum stadium conditi sint, dubitari non potest.

Saepissime animadversum est illustrissimos illos poetas antiquos minime discrimina temporum curasse et vetustae aetatis morum et institutorum quodammodo imaginem referre ne in mentem quidem induxisse. Hoc sane potius nostrae aetatis est quam illorum. Sed jam habes in Sophocle hujus erga rerum praeteritarum statum incuriae egregium documentum, qui Orestem non tantum certare fecit in certaminibus Pythiorum, quae saeculo demum sexto instituta erant, sed vel ad Orestis aetatem retulit quae sua ipsius aetate nova instituta esse probe norat. Praeterea venerande philologorum Batavorum Nestor, — cui spero fore ut haec mea qualiscumque sit, disputatio non plane displiceat — hoc te observare in iis quae de Sophocle disputavi velim, quam recte tu aliique critici divinis illis aureae aetatis Graecis scriptoribus vel levissimas maculas abstergere studeatis. Immerito igitur vobis

nonnumquam culpae datur vos ipsos potius scriptores illos antiquos emendare, quam medii aevi librarios. Si in poeta qualis est Sophocles vel levissime claudicare oratio videtur, aut minus recte poetam interpretati erimus aut locus corruptus est. Sane in illis Electrae versibus, in quibus claudicare Sophoclem quodammodo suspicetur quispiam, rectis eum pedibus stare satis demonstrasse mihi videor.

DE CORONIS SEPULCRALIBUS.

De Coronis sepulcralibus.

SCRIPSIT

J. H. HOLWERDA Jr.

ὁ το πριν ἐν ζωῃ Διονυσιος ἡν παναρεστος
υἱος Ἀπολλωνιου παι[δων] τοι ἡλικιῃ
τον ἐπ' ἀλλοτριης χωρης [π]ατηρ ὑπεδεξατο κολποις
χρηστομαθη χαριεντα Φιλ[ο]ν και τιμιον ἀστροις.

2 παι[δων] litterarum Δ et N partem videre mihi videor; quamquam metrum repugnat non habeo quomodo aliter lacunam expleam.

3 [π]ατηρ cf. v. 7.

4 ἀστροις pro ἀστοις scriptum videtur.

ἐνδεχετη διηνυσε μοιραν ἐνιαυτους
ἐγ δενδρου προπεσω[ν] σΦονδυλον ἐξεραγη
και κεΦαλην ἠαξε πατρος κολπους ἐνιδευσας
ἁιματος οἰκτροΦονου [ψυ]χολιπαις νοτισιν
ὁς παιδων παντων ἠγησατο νυν δ' ὑπο γαιη
κειται ὑπο σποδιηι γονισι λιπων δακρυα
ἀλλ' εἰ μη βαρυ χαιρε Διονυσιε εἰπον ὁδιτα.

8 [ψυ]χολιπαις sic lacunam explendam esse puto, partem litterae ψ videre mihi videor.

Ne nimium irascaris, vir clarissime, poetae balbutienti, neve me archaeologum tantopere a moribus studiisque avitis, quae se magni fecisse satis Flavii Josephi editor ostendit, abalienatum putes ut ejusmodi Graecitatem atque poesin admirer. Minime enim hos versus tibi exscripsi ut thesaurum poeseos Graecae gemma pretiosa augerem. Neque mihi hominem Graecum saeculo primo p. C. natum in grammaticae suae et rei metricae leges peccantem ante oculos tibi collocare proposui; non enim meum esse puto de ejusmodi vitiis docte et apte disputare, immo libenter confiteor me locis nonnullis paululum haesisse neque semper statim habuisse quomodo lacunas in hisce versiculis obvias explerem.

Carmen nostrum sepulcrale legitur in latere averso lapidis musei nostri Lugdunensis anno 1893 ex Asia acquisiti, qui in fronte gerit anaglyphum virum atque feminam lugentes cum servis nonnullis exhibens. Supra eorum capita et aliae insculptae sunt figurae et duae coronae quarum una in circuitu habet vocem χαιρε. Inscriptio autem nostra in aversa parte lapidis saeculo fere primo post Christum natum incisa esse videtur, anaglyphum contra haud dubie multo est antiquius. Parentes igitur miseri illius pueri, qui undecim annos natus ex arbore delapsus cervice fracta mortuus est, pro

monumento sepulcrali ei lapidem erexerunt qui jam semel alius sepulcrum ornaverat, neque hac in re novum quicquam fecerunt; saepius enim lapidem sepulcralem mortuo cuidam erectum, multo post ab aliis alius mortui sepulcro ornando adhibitum videmus, quamquam pro certo habere possumus non in nobilissimorum neque divitissimorum numero fuisse eos qui tali modo mortuos suos munerarent. Mirum tamen quod supra carmen nostrum et haud dubie eodem tempore quo illud incisas videmus duas coronas in quarum circuitu leguntur vocabula ὁ δημος, quarum altera in initio hujus commentarioli depicta est. Jam Hesseling in Dissertatione „de Coronis" (p. 48) de ejusmodi coronis in monumentis sepulcralibus insculptis loquitur et recte coronas illas aut mortuo destinatas aut effigies praemiorum quibus vivus dignatus esset esse putat. Permulta ejusmodi monumenta sepulcralia coronis insculptis ornata museum nostrum ex Asia acquisivit et saepius in coronarum circuitu voces ὁ δημος aut χαιρε leguntur. Saepissime etiam in vasculis Graecis viros feminasque depictos videmus sepulcrum mortui amati coronis ornantes. Neque mirum ejusmodi pium officium a lugentibus superstitibus mortuis suis praestari. Minime etiam mirandum videtur mortuum erga cives suos optime meritum publice in exsequiis tali honore dignari. Anaglypha autem sepulcralia Athenis saeculis quinto et sequentibus fabricata familiam lugentem aut mortui sepulcrum colentem donisque ornantem ostendere jam in opusculo meo „die attischen Gräber" monstrasse mihi videor. Quidni igitur coronae illae quibus mortuus ille publice ornatus erat lapidibus inciderentur? Sic etiam raro in lapidibus sepulcralibus atticis coronae ejusmodi effigiem videmus (Conze A. G. 1321, 1322, 1323, 1323[a]) et nonnunquam (1323 et 1323[a]) carmen in ipso lapide incisum revera coronam illam civi de republica optime merito datam esse docet.

Anaglypha autem illa sepulcralia attica saeculi quinti et sequentium artificibus qui postea in Asia ejusmodi monumenta facerent exemplo fuisse, satis ipsa anaglyphorum argumenta demonstrant. Sic etiam morem illum coronarum in monumentis sepulcralibus incidendarum a Graecis Asiae incolis ex Attica desumptum esse luce clarius mihi esse videtur. Tantum hoc miramur coronas illas, quales vix paucas in atticis monumentis depictas invenimus, in Asia saeculis a. C. secundo et sequentibus tam saepe in lapidibus sepulcralibus obvias esse ut nullo modo credere possimus regionem illam beatissimam tot habuisse cives de patria optime meritos qui corona civica digni judicati essent. Etenim anaglypha longe plurima quae ex Asia ad nos pervenerunt coronas illas cum vocibus ὁ δῆμος exhibent. Quid igitur hac in re erit censendum?

Viam nobis monstrare videtur lapis noster cujus carmen sepulcrale in initio hujus commentarioli posuimus. Sepulcro cui impositus erat conditus erat puer undecim annos natus. Mortuus ille puer, quem illa aetate jam de patria bene meruisse nullo modo credere possumus, de quo carmen jam nihil aliud nobis narrare potest nisi eum ex arbore lapsum mortuum esse, cujus parentes, quemodmodum jam vidimus, minime nobiles aut locupletes fuerunt, immo cujus sepulcrum lapis ex alio sepulcro desumptus ornavit, tamen τιμιος ἀστοις fuit (si recte videmus) et duabus coronis publice a populo (τῷ δημῳ) dignatus est. Quid igitur aliud erit statuendum nisi coronas illas in lapidibus effiguratas non publice ob insignem virtutem mortuis esse datas sed eo tempore morem fuisse apud Graecos Asiae incolas mortuorum sepulcra etiam publice coronis ornare. Coronae igitur illae lapidibus incisae minime de mortuorum virtute atque praestantia loquuntur sed ad usum funebrem spectant nobis adhuc ignotum. Non solum liberi parentum, non uxor mariti, non familia superstes et

amici mortui sibi cari sepulcrum coronis et taeniis ornabant sed etiam δημοται et tribules dona funebria afferebant et sepulcra tribulium suorum mortuorum floribus et coronis publice ornabant. Ac ne forte nimium ponderis me coronis illis exsculptis tribuere putes, neve credas fortasse ἀλαζονειᾳ quadam Graecos illos aetatis imperii Romani anaglypha sepulcralia coronarum effigie, additis vocibus ὁ δημος, ornasse sed non revera mortuos ejusmodi honore a tribulibus dignatos esse, aliud tibi musei nostri anaglyphum afferam quod mortui pueri imaginem nobis exhibet; sub hoc anaglypho in lapide legitur inscriptio Εὐκαρπος και ΣυνΦερουσα Ζωσιμῳ τεκνῳ μνημης χαριν et duae coronae exsculptae sunt quibus addita sunt haec Φρατρα Πηγασων et Φρατρα Φιλοκεσαρεων. Nominatim igitur tribus indicantur quae in exsequiis pueri illius eum coronae honore dignaverunt.

Ecce igitur, vir clarissime, anaglypha nostra sepulcralia novum quendam ritum funebrem, aliunde nobis ignotum tradentia. Graeci saeculi secundi et sequentium non modo cives suos virtute et sapientia insignissimos coronare solebant, quemadmodum saepius nobis est traditum, sed etiam mortuos suos, neque tantum praestantiores, sed etiam pueros et humillimos, in exsequiis coronae honore publice dignabant.

Tibi tamen effigies haec, quam in initio mei commentarioli imprimendam typographo mandavi, sit pro corona honoraria ab humili quodam ἐκ του δημου archaeologorum monumento affixa quod Nestori suo vivo philologi οἱ ἀριστοι erexerunt.

DE LUCIANI SOSTRATO ET PHILOSTRATI AGATHIONE.

De Luciani Sostrato et Philostrati Agathione.

SCRIPSIT

H. O. DE JONG.

Sostratum illum, cuius apud Lucianum in vita Demonactis mentio fit eundem esse, qui apud Philostratum in vita sophistarum p. 552 sqq. Agathionis nomine commemoratur, post Hemsterhusium nemo non vidit. Fritzschius in commentatione de Sostrato in Prolegomenon ad Lucianum vol. III, parte II de utroque acute et copiose disputavit et ex iis, quae Philostratus narrat, argumentum deperditi libelli de Sostrati vita actisque, quem Lucianus l.l. se scripsisse dicit, investigare et refingere conatus est. Quod vero Philostrato fidem maiorem, quam par est, habuit neque satis perspexit omnia, quae ille retulit esse incredibilia et superstitiosa rerumque humanarum modum superare, me adduxit, ut, quid de hoc Hercule (nam Herculis cognomine et Sostratus et Agathio celebrabatur) censendum et de genuitate libri de vita Demonactis esset statuendum, denuo inquirerem. Primum dicam unde Philostrati narrationem fluxisse existimem. Nempe Philostratus alia, quae fando audiverat, alia, quae ex scriptis, veluti ex deperdito illo de Sostrato libro, deprompserat, in epistula Herodis Attici ad Iulianum quendam data retulit, quae epistula, si minus tota, at certe magna ex parte a Philostrato

ficta mihi videtur. Haud falso igitur Fritzschius statuit, argumentum libri illius deperditi a Philostrati descriptione in universum non abhorruisse, quamquam omnia non tam superstitiosa et in maius aucta fuisse videntur, quam sunt apud Philostratum. At vero vix credibile videtur Lucianum, qui tam acerbe in Alexandrum Pseudomantin et Peregrinum Proteum, quos in praestigiatorum numero haberet, invectus est, tantis laudibus extulisse virum solitarium, qui heroe se natum praedicaret, operaque perageret, ipsius Iovis filii ἄθλοις comparanda, denique qui non mortalis hominis, sed semidei heroisque speciem prae se ferret. Iam pauca, quae initio vitae Demonactis de Sostrato leguntur, apta sunt ad fidem denegandam et his ipsis et iis, quae, his consentanea, lecta fuisse verisimile est in deperdito illo de Sostrato libro eiusdem scriptoris, qui vitam Demonactis composuit. Verissime igitur contra Fritzschium Bernaysius in celebri illo libello „Lucian und die Kyniker" Luciano hunc de vita Demonactis librum abiudicavit.

Audacior coniectura est v. d. A. Schwarz „Ueber Lukians Demonax", qui frustra, opinor, demonstrare conatur vitam Demonactis a Luciano quidem scriptam esse, sed a Christiano quodam ferme A° 300 p. Ch. n. contaminatam et mutilatam; eundem exordium de Sostrato finxisse et addidisse; Demonactem autem nunquam exstitisse sed a Luciano, qui acri certamine cum Cynicis contenderet, quibus omnia vitia obiceret, ut exemplum veri Cynici esse propositum; qui enim fieri posse ut neque ipse Lucianus iterum neque aequales Demonactis mentionem fecerint, neque ante Eunapium denuo in litteris occurrat?

Ut cetera in eius commentatione temeraria aut falsa sunt, ita, cum negat fuisse Demonactem, haud sane inepte et temere, ut opinatur Fritzschius, disputat.

E praecedentibus satis apparet me ea, quae de Sostrato-Agathione-Hercule traduntur pro fabula et re ficta habere; neque Lucianum neque Philostratum singularem illum virum unquam oculis vidisse, sed fabulas, quae de eo circumferrentur iis materiem, quam tractarent, dedisse, unde hos libellos originem traxisse. Duobus argumentis haec opinio confirmatur et quod Plutarchus Quaest. conv. IV. 1. 1. de hoc Sostrato scripsisse videtur: „οὐ γὰρ ἐμεμνήμην", εἶπεν ὁ Φίλων, „ὅτι Σώστρατον (ita X, reliqui libri Σώσαστρον praeter unum, qui Σωσίστρατον exhibet) ἡμῖν ὑποτρέφει ὁ Φιλῖνος, ὃν Φασι μήτε ποτῷ χρησάμενον ἄλλῳ μήτ' ἐδέσματι πλὴν γάλακτος διαβιῶσαι πάντα τὸν βίον, unde apparet eum Plutarchi aetate iam mortem obiisse, et quod eius similitudo cum Hercule heroe in oculos incurrit. Compara apud Philostratum Agathionis ingentem corporis magnitudinem viresque [1]), eius speciem vultumque [2]), eius certamina cum feris bestiis [3]), eius originem ex Marathone heroe [4]), eius voracitatem [5]), cum iis, quae de Hercule, Iovis filio, traduntur, iam videbis haec fide digna non esse neque in hominem mortalem cadere. Qua religione cultus sit a Marathoniis et Boeotis, cognomen Agathionis, ei inditum, declarat; et ipse Hercules σωτήρ et ἀλεξίκακος patronus et fautor agricolarum pastorum vinitorumque erat et χρηστὸς καὶ σωτήριος τοῖς ἀνθρώποις. Cf. Philostr. p. 342, Preller Griechische Mythologie ed. III, II p. 163.

1) Cf. Philostrati vita soph. p. 552 et Apollod. Bibl. II. 4. 9.

2) Propter Philostrati verba χαροπήν τε ἀκτῖνα ἐκ τῶν ὀμμάτων ἐκδεδόσθαι de Hercule, cui χάροψ cognomen (Pausan. IX. 34. 5.) non est cogitandum, nam vox χαροπός Philostrato in deliciis est, velut Diomedes p. 702 et Aiax p. 718 χαροποί dicuntur.

3) Cum bestiis pugnabat, quarum aliae eo tempore in Graecia non iam erant, aliae fortasse nunquam ibi fuerunt.

4) Marathon arte cum Hercule coniunctus erat; Cf. Apollod. Bibl. II. 5. 7. II. 8. 1. Pausan. I. 15. 4.

5) Etsi Agathio est γαλακτοπότης ut Sostratus apud Plut. l. l. nec βουφάγος, tamen ἐπειδὴ (lege ἐπειδὰν) inquit ἀλφίτοις προσβάλω, δέκα σιτοῦμαι χοίνικας.

Philostratus libere versatus in depingendo hoc Agathione, ita tamen, ut traditis de eo fabulis uteretur, Herodi Attico narrationem suam attribuit in epistula, quam supra commemoravi. Fritzschio ipsi, ut testantur eius verba „Attamen, si vera Philostratus tradidit, neque suam ipsius superstitionem male contribuit Herodi: Herodes ad extremum ipse Agathionem crediderat patre natum esse Marathone heroe", haec suspicio suborta videtur neque tamen ultra progredi ausus est, quamquam tota descriptio et dicendi genere et verborum usu in Philostratum maxime convenit [1]).

Cur vero Herodem Atticum haec narrantem induxerit, causa haec esse videtur quod fabulae de consuetudine et familiaritate huius sophistae cum Agathione vulgatae erant, unde factum est ut hic Herodis Hercules diceretur [2]). Nunc etiam facile explicari potest, cur Philostratus Sostrati nominis mentionem non fecerit. Non enim data opera de eo egit, sed tantum obiter in vita sophistae nonnulla de eo commemoravit neque verbum fecit de ingentibus et admirabilibus eius operibus. Quae illa opera fuerint, nos docet scriptor vitae Demonactis, incredibilia tradens. Nam, ut λῃστὰς ἀναιρεῖν [3]) potuerit, quis mortalis, nisi herois viribus instructus potuit ὁδοποιεῖν τὰ ἄβατα ἢ γεφυροῦν τὰ δύσπορα? Haec quoque nos admonent de Herculis laboribus, quales commemorat Pausan. VI. 21. 3. VIII. 19. 3. IX. 38. 5. Inprimis tamen Sostrati nomen cum

1) Cf. Philostr. vita soph. p. 624: Αἰλιανὸς δὲ Ῥωμαῖος μὲν ἦν, ἠττίκιζε δὲ ὥσπερ οἱ ἐν τῇ μεσογείᾳ Ἀθηναῖοι et verba Agathionis in Herodis epistula: ἡ μεσόγεια τῆς Ἀττικῆς ἀγαθὸν διδασκαλεῖον ἀνδρὶ βουλομένῳ διαλέγεσθαι; mirum ni utraque dictio Philostrato attribuenda est. Praeterea dicitur Agathio κομᾶν τε συμμέτρως καὶ τῶν ὀφρύων λασίως ἔχειν ὡς καὶ ξυμβάλλειν ἀλλήλαις οἷον μίαν, χαροπός, γρυπός, cett., qubus respondent in Philostr. Heroico verba de Sthenelo p. 702, de Palamede p. 715, de Achille p. 730 et p. 733; longum est omnia componere.

2) Aliter Fritzschius, qui locum corruptum censet.

3) Libri αἴρειν, quod parum recte Nils Nilen in recentissima editione retinuisse mihi videtur.

Hercule coniunctum notabile est propter ea, quae leguntur in Pausan. VII. 17. 4: Ὀλίγον δὲ πρὸ τοῦ ἄστεώς ἐστι τῶν Δυμαίων ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ τάφος Σωστράτου· μειράκιον δὲ ἦν τῶν ἐπιχωρίων, γενέσθαι δὲ Ἡρακλέους ἐρώμενόν φασιν αὐτόν, καὶ, ἀποθανεῖν γὰρ τὸν Σώστρατον Ἡρακλέους ἔτι ὄντος μετὰ ἀνθρώπων, οὕτως οἱ τὸν Ἡρακλέα τότε μνῆμα αὐτὸν εἶναι τὸν ποιήσαντα καὶ ἀπαρχὰς ἀπὸ τῶν ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν δοῦναι. ἐπίθημα δὲ καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι στήλη τε ἦν ἐπὶ τοῦ χώματος καὶ Ἡρακλῆς ἐπειργασμένος· ἐλέγετο δὲ ὡς οἱ ἐπιχώριοι καὶ ἐναγίζουσι τῷ Σωστράτῳ. Hic fortasse originem omnium de Sostrato-Agathione-Hercule fabularum deprehendimus. Quod praeterea laudatur eius ὕπαιθρος ἐν τῷ Παρνασσῷ δίαιτα καὶ ἡ ἐπίπονος [1]) εὐνή, verba Prelleri II p. 252 citare lubet: „In der That erscheint Herakles in diesen Sagen immer als Vorkämpfer des Pythischen Apollo am Olymp und am Parnasz, der die Strasze dieses Gottes von seinen Feinden säubert und ihm widerspenstige Völker bezwingt".

Quid ergo? Inter aretalogias et Philostrati narrationem et quae pseudo-Lucianus in vita Demonactis et in deperdito de Sostrato libro tradidit, referenda esse mihi convenit cum Reitzensteinio, qui in nuper edito libro „Hellenistische Wundererzählungen" p. 70 sqq. paucis verbis de hac quaestione egit, quam accuratius tractare supra conatus sum.

---

1) Ita libri; alius aliud proposuit; Naber ἡ ἐπὶ Ἑλικῶνος εὐνή; ipse olim de ἐπὶ χιόνος cogitabam.

CIRIS.

Ciris.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

In salutantium coetu non is sum, clarissime Naber, qui merita tua in arte philologica, cuius per sex fere decennia decus et praesidium in patria nostra exstitisti, publice praedicare mihi sumam. At vero me aliosque collegas in Universitate Amstelodamensi permultos obstrictos devinctosque tibi habes, ex quo ante viginti amplius annos sodalicium condidisti, Societatis Graecae titulo celebratum, quod ad hunc usque diem ita floruit, ut optimi inde fructus nobis redundarent, qui tuo animi vigore et exemplo instigati novam quotannis aliquam materiem ex amplissima philologiae dicione, quae linguam graecam et latinam, artem linguisticam nonnumquam, historiam, archaeologiam, mythologiam, numismaticam, litteras denique sacras complectebatur, invenire et sic tractare cogeremur, ut seria collegarum censura non nimis esset formidanda. Hoc me beneficium tuum hic palam profiteri non aegre te laturum certo scio, nam nihil iucundius tibi contingebat, quam ut has dissertationes, quarum ipse mense Octobri initium facere numquam omisisti, attentissimis auribus sequerere et post crisin non minus docte et acute quam benevolenter exercitam, dein hilariter fruerere suavi confabulatione modestoque convivio, quibus post negotia animorum

remissionem quaerere consuevimus. Utinam corporis vires et ingenii alacritas tibi per nova etiam lustra hos coetus frequentare concedant.

Ex hoc autem prooemio proclivis est transitus ad quaestionem, quam nuper in sodalicio plenius exposuisse me recordaberis; quod autem tum, ut auditu minus idoneum, praetermisi, id iam scriptum tibi dedicare liceat.

In certamine, quod contractum est his annis Leonem inter et Skutschium de Ciri, quibus alii deinceps in litteris heroes sese hinc et illinc adiunxerunt, dubius aliquamdiu haesi, utri me parti addicerem. Non quidem Skutschio palmam omnino tribuendam esse censebam, sed tamen carmen neotericum, ut vocatur, quale Ciris est, post Vergilii tempora scribi potuisse vix credibile mihi esse videbatur. Cum vero totum epullion in vernaculum sermonem transferre conatus, singula verba, versus, episodia ea qua par erat cura excuterem locosque parallelos e poesi latina diligenter compararem, tandem nulla dubitatio remansit, quin certum in hac causa iudicium nobis ferre liceret [1]), nempe hoc, Ciris auctorem fuisse poetam valde mediocrem, qui assiduus Catulli et Vergilii aliorumque poetarum illius aetatis imitator et compilator exstiterit. Quibus argumentis haec sententia nitatur, hac angusta dissertatione vel strictim exponere nequeo. Praestat idcirco, cum certaminis solutio pro magna parte pendeat e locorum similium indole ac dignitate et opportunitate, novam imitamentorum segetem proferre, quam colligere mihi contigit non ita parvam. Cum enim viri docti CL amplius eiusmodi locos notassent, deprehendi paulatim etiam L circiter, ubi unius pluriumve verborum similitudo, cum Catullianis et Vergilianis praesertim, talis est ut fortuito orta esse vix possit.

1) Negavit hoc Körte in Hebdom. phil. cl. XXIV 1907 p. 1341: „subiectiv wird das Urtheil in jedem Fall bleiben."

Carolus Hosius, in libello nuper edito „de imitatione scriptorum Romanorum imprimis Lucani", merito quidem statuit non omnes versus similes ex imitatione derivandos esse, sed idem vix vere me iudice de prorsus simili multorum versuum exitu et introitu sic statuit p. 6: „itaque hic omnes poetae eadem verba repetunt non auctore aliquo adducti, sed necessitate metri aut facilitate, e. q. s.", et p. 8: „quod in calce versus, non multo minus ratum est in fronte, ubi ob rationes metricas aut propter maiorem vim verborum ibi collocatorum quaedam unice arrident seque venditant." His verbis si intelligitur novissimum quemque poetam has quasi formulas identidem ipsum denuo repperisse, id a probabilitate omnino abhorrere censeo. Neque ipse hanc legem observavit in imitationum recensione ad Lucani prooemium, ubi p. 16 sic fatetur: „Ex exemplis infra subiectis eius vestigia prementes iam nunc detegimus": sequuntur XVIII scriptorum nomina, qui Lucani vestigia presserint, h. e. imitatores eius fuerint. Inter hos autem et Lucanum similitudo, ut adnotatio docet, persaepe uno tantum verbo continetur.

Ceterum in Ciri imitatio in medio est posita. Nemo negat auctorem Catulli carmen 64 citasse quater et vicies et reliqua sexies decies, praesertim 66 et 68; porro eum Lucretium in mente habuisse quinquies; loci denique Vergiliani apud eum leguntur nonaginta amplius, de quorum similitudine non dubitatur, sed hoc tantum, uter alterius vestigiis institerit. Ego in sequentibus hac lege utar, imitationem agnoscendam esse, ubi verba similia vel formulae leguntur aut eodem versus loco, aut alibi quoque si minus vulgaria sunt, denique ubi vocis significatio nos advertit parum usitata. Hac ratione loci Catulliani similes accedent decem, Lucretiani tres, Vergiliani viginti septem, ex aliisque poetis fere decem.

Legitur in Ciris versu

76 Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum

Hosius in libro laudato p. 9 comparavit Ovid. M. 4, 728, Belua puniceo mixtos cum sanguine fluctus Ore vomit.

89 Quidquid et ut quisque est tali de clade locutus,
omnia sunt: potius liceat notescere Cirin
atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.

Cat. 68. 36 Huc una ex multis capsula me sequitur. Cf. Hor. Ep. 1. 6. 60.

In Ciri „una ex multis" significat ignobilem, ut observavit Heynius, qui idem post alios correxit „omnia sint", quod liberius interpretatur „habeant se, ut volunt". Ellis in novissima editione Heinsium secutus edidit „somnia sunt", coniectura blanda sed falsa, nam praecedens fabularum enarratio inde a v. 56 nequaquam ostendit poetam eas pro somniis habuisse. Quid poeta dixerit hic, ut alibi saepe, non liquet.

98 Sparsaque liminibus floret rosa

Aen. 4. 202 et variis florentia limina sertis.

104 Quarum (sc. urbium) non ulli fama concedere digna stat Megara

Cat. 68. 131 Aut nihil aut paulo cui tum concedere digna.

121 Candida caesaries

Aen, 8. 659 Aurea caesaries.

124 Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
concordes stabili firmarunt numine Parcae.

Post ea quae disseruit Skutsch, Gall. u. Verg. p. 86 sqq., locus diligentem etiam inquisitionem flagitat. Nunc comparo tantum Aen. 12. 188 di numine firment.

131 Scylla patris miseri patriaeque inventa sepulcrum

Praeter Cat. 68. 89 confer etiam Lucretium 5. 260 terra rerum commune sepulcrum.

135 Iuppiter, ille etiam Poenas domitare leones
et validas docuit vires mansuescere tigris.
Georg. 1. 285 et prensos domitare bones
„ 4. 469 nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

154 Non umquam violata manu sacraria divae
iurando, infelix, nequiquam iure piasses.
Cum Barthio et Ellisio dedi „iure" pro „iura".
Aen. 12. 199 vimque deum infernam et duri sacraria [Ditis.

Aen. 2. 139 et 183, 6. 379 sic finiuntur: morte piabunt, triste piaret, ossa piabunt.

162 Virginis in tenera defixerat omnia mente.
In Cat. 64 mente vel mentis in sexto pede legitur vv. 70, 136, 226, 236.

164 Et validum penitus concepit in ossa furorem.
Praeter locos a viris doctis iam ex Catullo et Vergilio collatos compara etiam Ovidii M. 2. 640 Ergo ubi vaticinos concepit mente furores. In Ciris v. 130 codices consentiunt in hac lectione: Ni Scylla novo concepta furore. Omnibus editoribus recepta est antiqua correctio correpta, sed num ipsi poetae forte incogitanter excidit participium concepto toties cum voce furore ei lectitatum?

181 Atque ubi nulla malis reperit solacia tantis
In paenultimo pede solacia legitur Aen. 5. 367, 6. 377, 8. 514, 11. 62.

189 Vosque adeo. 206 Iamque adeo. 400 Has adeo.
Vergilianum est adeo positum ab initio post pronomen vel particulam monosyllabam: Ecl. 4. 11. Georg. 1. 24. Aen. 4. 96, 533, 6. 498, 7. 427, 9. 156.

216 Nam qua se ad patrium tendebat semita limen

Lucr. 5. 482 qua nunc se ponti plaga caerula tendit. Aliusne locus classicus est ubi tendere se hunc in modum usurpetur?

236 Cum maesta parentis formosas circum virgo morerere capillos

Mori pro amore deperire Propertianum est: 1. 10. 5 Cum te complexa morientem, Galle, videmus, et 2. 4. 2: acrius moriar. Sumpsitne hoc noster a Cinna vel Calvo?

242 Non est Amathusia nostri tam rudis

Cat. 68. 51 quam dederit duplex Amathusia curam.

244 Si concessus amor noto te macerat igne,
per tibi Dictynnae praesentia numina iuro

Verbum macerare Plauto in amore usurpatum adhibuit dein Horatius C. 1. 13. 8. Ep. 14. 16.

Georg. 1. 10 et vos, agrestum praesentia numina, Fauni

248 Quam te tam tristibus istis
sortibus et morbo patiar tabescere tali.
Haec loquitur, mollique ut se velavit amictu
frigidulam iniecta circumdat veste puellam,
quae prius in tenui steterat succincta crocota.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens

Ad v. 252 v. d. olim compararunt Cat. 64. 317 Quae prius in, sed reliqui quoque aliunde compilati sunt: Cat. 68. 55 tabescere lumina fletu. 64. 66 suo velabat amictu. Ibid. 131 frigidulos udo singultus ore cientem. Lucr. 3. 469 lacrimis rorantes ora genasque.

256 Marmoreum tremebunda pedem quam rettulit intra

v. 342 Paulatim tremebunda genis obducere vestem

Lucr. 1. 95 tremebundaque ad aram deductast. Cat. 63. 11 canere haec suis adorta est tremebunda comi-

tibus. Vergilius hoc adiectivo usus est de hasta 10. 552.

259 Non ego consueto mortalibus uror amore

Prop. 1. 12. 5 nec mihi consuetos amplexu nutrit amores. Cf. quae dixi ad v. 236, et Ter. Andr. 135 ut consuetum facile amorem cerneres.

269 Quem pater ipse deum sceptri donavit honore

Aen. 6. 780 et pater ipse suo superum iam signat honore.

271 Dicendum, frustra circumvehor omnia verbis.

Georg. 3. 284 sed fugit interea, fugit irreparabile tempus, singula dum capti circumvectamur amore. Servius verbum insolens explicuit „speciatim cuncta describere."

282 Aut mihi praesenti peperissem vulnere letum.

Aen. 6. 434 qui sibi letum insontes peperere manu.

286 O mihi nunc iterum ...

Ecl. 4. 53 O mihi tam longae. Aen. 8. 560 O mihi... si referat.

313 Tene etiam fortuna mihi crudelis ademit?

Aen. 11. 42 Tene, inquit, miserande puer ... invidit fortuna mihi. Cf. 1. 617 Tune.

340 His ubi sollicitos animi relevaverat aestus

Ovid. A. A. 3. 697 quaeque meos releves aestus cantare solebat.

346 Incipit ad crebros insani pectoris ictus
ferre manum, assiduis mulcens praecordia palmis.

Mire dictum ferre manum de nutrice, quae cordis palpitationibus sedandis manum pectori admovet. Hosius p. 29 contulit Aen. 6. 403 in proelia suetus ferre manum.

Praecordia in paenultimo habent Georg. 2. 484 circum pr. sanguis. Aen. 2. 366 redit in pr. virtus. 9. 593 novo pr. regno. 10. 451 coit in pr. sanguis.

348 Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.

Postera lux ubi laeta diem mortalibus almum
Aen. 1. 506 solioque alte subnixa resedit. 11. 182 Aurora interea miseris mortalibus almum extulerat lucem. Cf. 5. 64, quem locum iam attulerunt v. d.

369 At nutrix patula componens sulfura testa
Epitheton vulgare de locis, arboribus, fenestris, auribus aliisque rebus patentibus. Cum huius loci significatione convenit Aen. 7. 115 patulis nec parcere quadris.

411 Illa ego sum.
Sic Ovid. F. 3. 505. M. 4. 262.

422 Si nostra ante aliquis nudasset foedera casus
Aen. 1. 356 crudelis aras traiectaque pectora ferro nudavit. Ubi Servius: „nudavit indicavit".
Ovid. A. 2. 5. 5 non mihi deceptae nudant tua facta tabellae.

432 Vide supra ad v. 38.

436 Non metus incensam potuit retinere deorum.
Cat. 64. 97 qualibus incensam iactastis mente puellam.

438 Non mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha
Georg. 2. 118 quid tibi odorato referam sudantia ligna.

459 Labitur interea resoluta ab litore classis
Aen. 8. 91, 10. 686 labitur in primo pede.

515 Cum sonitu ad caelum stridentibus extulit alis
Aen. 1. 397 ludunt stridentibus alis.

525 Nam saepe nitentum sanguine taurorum supplex
[resperserat aras
Aen. 7. 547 respersi sanguine Teucros. Iam olim compararunt 3. 20 sq. nitentem ... taurum.

Supersunt etiam pauci versus, qui peculiare imitandi genus referunt, in quibus ex Horatii praecepto notum verbum callida iunctura novum reddere conatus est, sed ei quoque haec libertas in vitium excidit.

Legitur in versu

34 Emathio celsum duplicabat vertice Olympum

Apud poetas, ut in sermone pedestri, duplicatur tantum res una eademque, velut mobilitas (Lucr. 6. 337), umbrae (Ecl. 2. 67), poples cadentis (Aen. 12. 297. 927), corpus e vulneris dolore (11. 645. Ovid. M. 6. 293); non duplicatur altera res quae alteri imponitur.

38 Purpureos inter soles et candida lunae sidera

Ovidius solem appellavit sidus M. 1. 286 et 14. 172 scripsit sidera solis, dein Plinius N. H. 2. 41 sidus ... lunae. Deditne igitur poeta hoc de suo an e Cinna vel Calvo [1])? Idem vocabulum insolenter adhibitum est v. 432 Non equidem ex isto speravi corpore (Minois) posse tale malum nasci; forma vel sidere fallor.

Hoc loco sidus significare videtur splendorem, ut in Statii Silv. 3. 4. 24. Heynius explicat „vel specie vel fato", sed idem „putidam orationem" appellat, atque revera sidus pro fato apud poetas non inveni nisi, ut par est, cum epithetis, fausto, duro, sim.

45 In quibus aevi prima rudimenta et primos exegimus annos

Hoc quoque vocabulum in poesi, quod sciam, primum legitur in Statii Achilleide 1. 477 cuius adortus cruda rudimenta et teneros formavimus annos. Quaeritur utrum Statius Cirin imitatus sit, an cum huius auctore poetam nobiliorem.

232 Tempore quo fessas mortalia pectora curas

Denuo Statius est, apud quem fessus hoc significatu legitur in Silv. 5. 4. 4 et simulant fessos curvata

---

1) De his poematis nostri fontibus vide Sudhaus, „die Ciris und das römische Epullion". Herm 42 p. 469 sqq.

cacumina somnos. Ex Aeneide notae sunt „res fessae" 3. 145, 11. 335, et ex Catullo „curae spinosae, multiplices, tristes" 64. 72. 250, 2. 10. An hoc quoque poeta ex antiquiore fonte „mechanice" transtulit, ut Skutsch G. u. V. p. 50 suspicatur ad verba „gravidos fetus" in v. 230?

284 Intonsos multo deturpat pulvere crines

Dubito num in classica poesi mulieris quoque capilli umquam dicti sint intonsi. Vergilius, Propertius, Horatius viros tantum vel deos hoc epitheto ornarunt.

Enuntiatum „multo pulvere deturpare" iam olim repertum est in Aen. 10, 844, 12. 611.

GRIEKSCHE WOORDEN IN HET SANSKRIT.

Grieksche woorden in het Sanskrit.

DOOR

H. KERN.

Het is algemeen bekend dat de Indiërs en de Grieken eerst door den mislukten tocht van Alexander den Groote met elkaar in onmiddellijke aanraking zijn gekomen. Ten tijde der Diadochen ontwikkelde zich een steeds levendiger verkeer, deels te land met Baktrië en 't Syrische rijk; deels ter zee met Egypte. Invloed der Grieksche kunst op de Buddhistische beelden, vooral in 't Gandhāra-gebied, is onmiskenbaar. Van het bloeiende handelsverkeer getuigt eenerzijds de groote menigte van Grieksche, later Romeinsche munten bij opgravingen in Indië, voornamelijk in 't westelijk gedeelte gevonden; anderzijds de bekendheid van Indische voortbrengselen uit het planten- en delfstoffenrijk bij de klassieke schrijvers. Het spreekt van zelf dat men over en weêr met de vreemde zaken ook de woorden overnam. De Indische woorden die in 't Grieksch, min of meer gewijzigd, burgerrecht hebben gekregen, bepalen zich, behoudens een paar uitzonderingen tot benamingen van natuurvoortbrengselen. Het aantal aan het Grieksch ontleende woorden die men in Sanskritgeschriften, en wel uit de Middeleeuwen of iets vroeger aantreft, is grooter dan dat der Indische woorden in 't Grieksch, maar toch niet

zeer aanzienlijk. Verreweg de meesten zijn termen uit de horoskopie, een tak der astrologie dien de Indiërs uitsluitend aan Grieksche geschriften ontleend hebben. Het Grieksche woord ὥρα is overgenomen in den vorm van *horā*, met de beteekenis van „uur; de helft van een sterrebeeld des dierenriems; horoskoop; horoskopie." Dat *horā* een Grieksch woord was, wist men in Indië in de 6de eeuw niet meer, zoodat de sterrekundige Varāha-Mihira, die in 't midden der 6de eeuw bloeide, van *horā* de naieve etymologische verklaring gaf dat het woord ontstaan was uit *ahorātra*, etmaal, waarvan *horā* $\frac{1}{\text{ST}}$ is! Zulk een blijk van onbekendheid met de afkomst van den term bij een man van 't vak bewijst voldoende dat de horoskopie reeds langen tijd vóór 500 A. D. tot Indië was doorgedrongen, en tevens dat het oudste werk hetwelk een Indische vertaling of bewerking van een Grieksche Horoskopie, hetzij van Paulus Alexandrinus of een ander, bevatte, in vergetelheid was geraakt.

De vorm waarin wij de aan 't Grieksch ontleende woorden in 't Sanskrit aantreffen, wijkt min of meer van den oorspronkelijken af: deels een gevolg van verschil in klankstelsel, maar deels ook, en wel voornamelijk, door de schuld der afschrijvers. In sommige gevallen bezitten wij de gegevens om de oorspronkelijke lezing te herstellen.

Tot de overgenomen woorden behooren in de eerste plaats de namen der planeten, die in de geschriften over Horoskopie naast de inheemsche gebruikt worden. Ze zijn: *Helis* [1]), Ἥλιος; *Āras*, Ἄρης; *Hemnas*, *Himnas*, Ἑρμῆς; *Jyāus*, *Jīvas*, Ζεύς; *Āsphujit*, Ἀφροδίτη; *Kroṇas*, Κρόνος [2]).

---

1) Ik geef de nominatiefvormen, waardoor 't onderscheid van grammatisch geslacht terstond in 't oog valt.

2) In gedrukte werken en in HSS. *Koṇas;* in enkele Indische woordenboeken *Kroḍas*. Reeds uit de linguale *ṇ* blijkt dat de ware lezing *Kroṇas* is.

Als namen der teekens van den dierenriem komen voor: *Kriyas*, Κριός; *Tāvuras*, Ταῦρος [1]); *Jituma* (in samenstelling), Δίδυμοι [2]); *Karkī* (stam *Karkin*), Καρκίνος; *Leyas*, Λέων; *Pāthenas*, Παρθένος [3]); *Jūkam*, Ζυγόν; *Kaurpyas*, Σκόρπιος [4]); *Taukṣikas*, Τοξότης [5]); *Ākokeras*, Αἰγόκερως; *Hṛdrogas*, Ὑδροχόος; *Ittham*, Ἰχθύς [6]).

Onder de namen der zgn. astrologische huizen treft men de volgende aan 't Grieksch ontleende aan: 3de huis heet *duçcikyam*, vermoedelijk ontstaan uit τυχικόν; 4de huis *hibukam*, ὑπόγειον; 7de huis *dyūnam*, δῦνον, en *jāmitram*, διάμετρον [7]); 10de huis *meṣūraṇam*, μεσουράνημα; 12de huis *rihpham*, ῥιφή.

Het woord *kendram* uit κέντρον, dat ook in de sterrekunde zeer gewoon is in de beteekenis van middelpunt van den cirkel, is in de horoskopie een term voor de huizen 1, 4, 7 en 10. Een gemeenschappelijke naam voor de huizen 2, 5, 8 en 11 is *paṇapharam*, ἐπαναφορά; voor 3, 6, 9, 12 *āpoklimam*, ἀπόκλιμα [8]).

Bijzondere namen voor zekere standen der maan ten opzichte der planeten zijn: *anaphā*, ἀναφή; *sunaphā*, συναφή; *durudharā*, δορυφορία; *kemadrumas*, κεντρόμος; *veçis*, Φάσις.

Een derde van een sterrebeeld heet bij Paulus Alexandrinus δεκανός; hieruit is verbasterd *drekkāṇa*, *dṛkāṇa*, *dreṣkāṇa*.

---

1) De oplossing van ταῦ in twee lettergrepen wijst op een poging om de uitspraak der lettergreep met περισπωμένη te benaderen. Behalve *Tāvuras* vindt men ook *Tāvuris*, *Tāvurus*, blijkbaar verkeerd.

2) Corrupte lezingen: *Jittama*, *Jitma*.

3) Verhaspeld in de gedrukte teksten en veel HSS. tot *Pāthonas* en *Pātheyas*.

4) De oorspronkelijke lezing zal wel *Korpyas* geweest zijn.

5) De afwijking in vorm onverklaarbaar; het woord lijkt meer op τοξικός, doch het is mij niet bekend dat deze term met τοξότης als teeken des dierenriems afwisselt. De *au* voor *o* in allen gevalle verdacht.

6) Stellig verknoeid uit *itthuḥ*; het verkeerde geslacht wijst dit reeds uit.

7) De gewone vorm is διάμετρος.

8) Vgl. Scaliger op Manilius, p. 188—203; Paulus Alexandrinus (ed. Wittenberg, 1586), fol. 58, b.

Zeer gebruikelijk, ook in astronomische werken, is *liptā*, minuut, uit λεπτή, waarvan zelfs een verkleinwoord *liptikā* gevormd is.

Als term in de astronomie komt ook voor *harijam*, ὁρίζων. Het beteekent ook „lengteparallax."

Minder technisch dan de bovengenoemde woorden en van meer algemeen gebruik zijn de volgende, waaronder namen van natuurvoortbrengselen 't eerst in aanmerking komen. *Kastīram*, tin, uit κασσίτερος. Dit woord wordt eerst vermeld in een Indisch woordenboek uit de 11de eeuw en is nog niet in de litteratuur aangetroffen. Andere benamingen voor „tin" in 't Sanskrit zijn *tīra* en *tīvra*, waarvan 't eerste veel heeft van een verkorting van *kastīra*, en het tweede misschien de sanskritiseering is van een Indonesisch woord [1]), want de meeste tin haalden de Indiërs zonder twijfel uit Malakka en eenige eilanden van den Indischen Archipel, wier tinrijkdom, gelijk men weet, nog heden ten dage niet uitgeput is.

Duidelijk van Griekschen oorsprong is, wat het stamwoord betreft, *kastūrikā*, *kasturikā*, *kastūrī*, muskus, dat in algemeen gebruik is. Vgl. καστόριον, hoewel in vorm de Sanskritwoorden met inheemsche suffixen afgeleid schijnen te zijn van κάστωρ. De beteekenis van 't Grieksche woord heeft zich in zooverre gewijzigd, dat de Indiër onder *kastūrī*, enz. niet een produkt van den bever, maar van 't muskusdier verstaat. Dit laatste was den Indiër van ouds bekend en als uitvoerartikel ook zóó gewoon, dat de Indische naam *muṣka* de algemeen gebruikelijke is geworden.

Waarschijnlijk, hoewel niet geheel zeker, is *karketana*, naam van zekeren edelsteen, 't Grieksche χαλκηδόνιος, of καλχηδόνιος.

---

1) Balisch *timbrah*, Sasaksch *tĕmĕra'*, Lampongsch *tamĕrah*, *tambĕrah*, *tamiyah*, Bataksch *tjimbĕrah* en *simborah*, Makassaarsch *tumberă*, Bugisch *tamarà*, Bikol *timga* (de *g* voor oudere gebrauwde *r*), Maleisch, Javaansch *timah*.

Onbetwistbaar uit het Grieksch is *dramma*, δραχμή. Ook *suruṅgā*, een onderaardsche gang, is uit het Grieksche σύριγξ. Ook *khalīnas*, *khalīnam*, gebit aan een teugel, dat eerst in Middeleeuwsche geschriften voorkomt, laat zich niet anders verklaren dan als ontleend aan 't Grieksche χαλινός, waarvan ook in 't mv. χαλινά voorkomt. Blijkbaar uit het Grieksch, al of niet rechtstreeks, is *melā*, inkt, μέλας, hoewel het meer gebruikelijke inheemsche woord *masī* is.

Het is twijfelachtig of *dīnāras*, denarius, als benaming van een munt, meest van goud, soms van koper, in Indië in omloop en daar ook geslagen, onmiddellijk uit het Latijn stamt dan wel volgens Grieksche uitspraak door de Indiërs overgenomen. Tegen de laatste veronderstelling pleit het geslacht, want δηνάριον is onzijdig, komt dus niet overeen met het mannelijke *dīnāras*. Daarentegen is de lange *i* in *dīnāras* meer in overeenstemming met den Griekschen vorm. De vraag is wanneer de uitspraak van η als lange *i* in zwang is gekomen. In de Gotische bijbelvertaling uit de laatste helft der 4de eeuw is daarvan nog geen spoor te ontdekken. De oudste Sanskritwerken waarin *dīnāras* voorkomt, dagteekenen op zijn allerlaatst van de 5de eeuw. Alles te zamen genomen is het meer dan waarschijnlijk dat *dīnāras* reeds lang vóór 400 A. D. in Indië een gewone munt was geworden, zoodat men moet besluiten dat het woord rechtstreeks aan 't Latijnsche *denarius* ontleend is.

DE SATURNO RESTITUTO.

De Saturno restituto.

(Hesiod. *Opp.* 269—269*e*).

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Saepe cum ad nos perferuntur volumina quibus publici iuris faciunt Angli quidquid papyrorum in solo Aegyptiaco ipsorum cura repertum est, mirari solemus tantum distare numero versuum haec carminum homericorum exemplaria, quae diu sepulta nunc in lucem redeunt, a libris illis quos debemus diligentiae Alexandrinorum. Luculentius quam antehac apparet, quam penitus inhaeserit animo Aristarchi haec opinio, Iliadi atque Odysseae nulla magis opus esse medicina quam ea quae fieret per sanguinis detractionem.

Constat Aristarchum in studiis hesiodeis eodem iudicio usum esse. Antiquissimi cuiusque poetae carmina plus damni cepisse censebat ex additamentis quam ex intertrimentis; obelum itaque sedulo adhibebat, quin etiam — editiones πολυστίχους Hesiodi aeque respuens ac Homeri — tacite nonnumquam versus quosdam neglegebat, qui non nisi ἐν ταῖς δημώδεσιν inveniebantur.

In homericis haud raro accidit, ut hodie nos aliis rationibus ducti servanda censeamus quae damnavit acumen Alexandrinorum; immo libenter nonnumquam Iliadi adiciemus paucos

quosdam versus ex papyraceis exemplaribus, quos si novit Aristarchus tacitus tamen praetermisit.

Licet multo rarius tale quid eveniat in hesiodeis, non tamen prorsus desunt documenta quibus comprobetur aliquando in Theogonia quoque Operibusve edendis Aristarchum breviora amplioribus iniuria praetulisse. Cuius rei exhibetur exemplum fragmento Fayumensi quod ante viginti annos edidit Julius Nicole (Revue de Philologie ann. 1888. t. XII. p. 113—116) mox cura sagaci tractavit Henricus Weil (*ibid.* p. 173—175), post eum R. Peppmüller (Philolog. LII p. 596 *sqq.*) et tandem in editione sua maiore Rzachius. Ceterum is cancellis versus novos inclusit.

Solebant antea Operum versus qui de quarti generis humani vita post mortem beata disserunt ita legi ut vs. 169 aut reciperetur post versum 168 aut in calcem relegaretur aut ederetur post versum 173. Edebant itaque viri docti totum locum hunc fere in modum:

166 ἔνθ' ἤτοι τοὺς μὲν θανάτου τέλος ἀμφεκάλυψε,
τοῖς δὲ δίχ' ἀνθρώπων βίοτον καὶ ἤθε' ὀπάσσας
Ζεὺς Κρονίδης κατένασσε πατὴρ ἐς πείρατα γαίης
169 τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων· τοῖσιν Κρόνος ἐμβασιλεύει·
170 καὶ τοὶ μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες
ἐν μακάρων νήσοισι παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,
ὄλβιοι ἥρωες, τοῖσιν μελιηδέα καρπὸν
τρὶς ἔτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα.
174 μηκέτ' ἔπειτ' ὤφελλον κ. τ. ἑ.

Verumenimvero servati sunt in fragmento Fayumensi (folio B II) versus quattuor tam a fine laceri quam ab initio:

νελυσεπα
εατοισιτιμη
λλογενοσθηκ
γεγαασινεπι

post quos statim sequitur vs. 174. Antecessisse autem sive eosdem versus quos hodie post 166 sequentes supra exscripsi, sive alios numero pares, id ex foliorum duorum qui servati sunt (B I et B II) condicione ita constat, ut de ea re nemo dubitet.

Fuit itaque in fragmento novo, id est in exemplari multo antiquiori quam codices nostri sunt, finis pericopes quae agebat de heroum vita beata diversus ab eo quem cognitum habemus. Quoniam autem statim post novos versus hic sequitur vs. 174, sic de tota re censendum opinabatur Nicole: Nous savons que certains critiques anciens condamnaient précisement les vers 169—173 des éditions vulgaires, comme affaiblissant par une inutile redondance l'élan poétique de tout le passage (v. schol. Procul. à propos du vs. 169). Nous pouvons donc supposer ou bien qu'au lieu de supprimer simplement les quatre vers incriminés on avait tenté d'y substituer un texte meilleur qui a été conservé en partie par notre papyrus, ou bien que ce texte meilleur est le premier en date et que déja à une époque ancienne les critiques ne le trouvaient plus dans la plupart des livres".

Pleraque itaque dubia in medio reliquit Nicole, attamen iis quae de scholio Procliano dixerat viam stravit Henrico Weil. Is enim, ipse quoque scholium illud tractans, monuit fieri non posse ut Procli verba caderent in versus 170—173 qui nunc feruntur, vitam enim heroum his versibus minime φληναφώδως enarrari; unum vero luculenter apparere ex ipsis verbis scholii, versus eos quos secundum Proclum critici antiquiores improbassent lectos olim fuisse in fine huius pericopae; legitur enim τά τε ἄλλα φαυλίζοντες καὶ τὸ ἐνθουσιαστικὸν τῆς εἰσβολῆς τῶν μετ' αὐτοὺς στίχων ἀφαιρεῖν εἰπόντες. Ex quibus hoc acute effecit Weilius:

Versum 169 locum mutasse et deperditis versibus ad quos

pertinebat neglegenter insertum esse ante versum 170. Olim autem finem pericopae sic fere se habuisse:

173 τρὶς ἕτεος θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
169 τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων· τοῖσιν Κρόνος ἐμβασιλεύει·
169b ⟨τοῦ γὰρ δεσμὸ⟩ν ἔλυσε πα⟨τὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε⟩.
169c ⟨τοῖσι δ' ἄρχ ν⟩εάτοις τιμὴ⟨ν καὶ κῦδος ὄπασσεν⟩.

De versu tertio et quarto dubitat. „Ce qui reste des deux vers qui suivent ne suffit pas même pour en déterminer le sens général. L'éloge de la race héroique pouvait s'y continuer à peu près en ces termes:

169d ⟨οὐδ' οὕτως κλυτὸν ἄλ⟩λο γένος θῆκ'⟨εὐρύοπα Ζεὺς⟩
169e ⟨ἀνδρῶν οἳ⟩ γεγάασιν ἐπὶ ⟨χθονὶ πουλυβοτείρῃ⟩

Mais ces vers pouvaient aussi annoncer l'âge suivant

⟨χείριστον πολὺ δ' ἄλ⟩λο γένος θῆκ⟨εν μετόπισθεν⟩
ἀνδρῶν κ. τ. λ."

Haec itaque Weilius. A quo tam diversa protulit Rudolfus Peppmüller in Philologo (vol. LII) ut praestet integram eius disputationem in medio relinquere, quam raptim et in brevius contractam referre. Censet autem vir doctus, et de Hesiodo optime meritus, versus 169b et 169c sic legendos esse:

τοῖς δ' εἴπερ νεάτοις τίμην καὶ κῦδος ὄπασσεν,
οὐκέθ' ὅμως κλυτὸν ἄλλο γένος θῆκ' εὐρύοπα Ζεύς

tum ita locum disponit: 166. 167. 168. 170. 171. [169. 169b. 169c. 169d. 169e.] 172. 173.

Damnat ergo Peppmüller cum versu 169 versus recens repertos, cumque eo facit Aloysius Rzach, qui duas totius loci recensiones extitisse ratus, quarum uni vs. 172 et 173, alteri vs. 169—169e adscribit, hosce cancellos inclusit. Equidem, quamvis incautum videatur refragari iudicio Rzachii, viri in Hesiodeis versatissimi, vix et ne vix quidem versus illos post exilium longissimum reduces denuo exterminari siverim. „Num ab Hesiodo itaque eos profectos esse censes?" ita me

rogas. De Hesiodo poeta sic iudico ut hodie multi: tam Theogoniae quam Operum eam esse indolem ut unius eiusdemque poetae manus in eis agnosci nequeat. Antiquiora cum recentioribus miscet identidem Hesiodus ille quisquis fuit; poetae munus cum diasceuastae labore crebro mutat. Quis audeat, ut uno defungar exemplo, carmen de Prometheo ac Pandora, quod scatet controversiis, sic discerpere in partes ut Hesiodo hesiodea, antiquioribus poetis antiquiora reddantur? — Sed est tamen in singulis operum partibus quaedam unitas; versus autem 169 et 169b cum hac unitate non pugnare, immo cum ingenio poetae convenire, eo magis demonstrari cupiverim quoniam ut dixi agitur de versibus quos exhibet liber aliquot saeculis antiquior quam codices nostri, ceterum de versibus quos in suis codicibus olim legit Proclus.

A scholio Procliano proficiscendum est. Primum ipsa verba referam; deinde efficere conabor quorsus spectent. Ecce verba: Τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων τοῖσιν Κρόνος ἐμβασίλευε]. Τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς, ὡς φληναφώδεις ἐξοικίζουσι τῶν Ἡσιόδου, τά τε ἄλλα φαυλίζοντες (ita recte codd. quod omnino non mutandum est in φαυλίζοντας) καὶ τὸ ἐνθουσιαστικὸν τῆς εἰσβολῆς τῶν μετ' αὐτοὺς στίχων ἀφαιρεῖν εἰπόντες. Ὡς γὰρ ἀποβλέψας εἰς τὸ κατ' αὐτὸν τῶν ἀνθρώπων γένος μετὰ τὴν ἐξύμνησιν τῆς τῶς ἡμιθέων λήξεως ἐπάγει „μηκέτ' .... γενέσθαι" (vs. 174. 175) δι' ὧν οὐ μόνον δηλοῖ τὴν ἀπὸ τῶν κρειττόνων εἰς τὸ χεῖρον εἶδος τῆς ζωῆς μεταβολήν, ἀλλὰ καὶ ἀνάπαλιν ἔσεσθαι ἀπὸ τῶν χειρόνων εἰς τὸ κρεῖττον.

Huius scholii verba non posse referri nisi ad versus quosdam, qui in extremo huius episodii fine positi proxime antecederent versum 174, cuius commotioni adversari videretur eorum inanis loquacitas, id quidem optime monuit Henricus Weilius; eodem autem iam duxerat Heinsius qui — immerito neglectus a Gaisfordio — ad extrema scholii verba haec adnotat: „tota haec glossa post versus illos μηκέτι usque ad verba illa

Hesiodi καὶ τοὺς μὲν" (lemma Procl. ad vs. 160) „παρέγγραπτος est et ab imperito librario addita: infra suo loco" (nempe ad vs. 174) „iterum eandem habes."

Videsne quid factum sit? Proclianae interpretationis pars quaedam quae textum usque ad versum 174 commentabatur ex suo loco migravit; parte modo extrema relicta, ea scilicet quae nunc iteratur ad versum 174. Ceterum non solum παρέγγραπτα sunt illa, verum decurtata quoque. Ad verba enim τηλοῦ — ἐμβασιλεύει quae lemmatis loco scholio praefixa sunt, nihil adnotatur, neque ad ea pertinere scholii verba possunt, quandoquidem in eo versu nihil inest quod φληναφῶδες dici possit.

Accedit quod duos saltem versus carpserunt critici. Est enim in scholio τὸν μὲν καὶ τὸν ἑξῆς. Quae verba cum Schoemannus in programmate Gryphiswaldiano anni 1855 p. 15 mutandos censeret in τὸν μὲν καὶ τοὺς ἑξῆς, plausum tulit communem. Haud merito. Nec putaverim Weilium Schoemanni coniecturam probaturum fuisse — ut fecit tacite corrigens scholii textum — si *argumentationem* Schoemannianam cognitam habuisset. Sed haec mitto; manifestum enim est *duos versus extremos* qui versum 174 antecedebant criticis veteribus displicuisse, quod impetum versus 174 frangerent. Et eius iudicii in supplendis versibus ratio nobis erit habenda.

Antequam autem versus refingere conabimur, unum monendum restat de versu 169. Nempe variis locis ille versus inseritur. Plerique codices et optimi prorsus non habent eum. In libris Tur. Voss. 2. Vat. 1384. Par. 2786. 2780 (vide Rzach. in Ed. min.) legitur post vs. 168; sed in codice Bodleiano (Barocc. 20 cuius mentionem facit Paley in Ed. p. XXXI) additur post versum 173. Dixeris versum incertum errasse postquam ab iis versibus quibuscum cohaereret abscisus esset. Nam licet hodie in commentario Procliano versus ille cum scholio decurtato servetur loco prorsus inepto —

inter annotationes ad vs. 158 et vs. 160 medium tenet locum, quo tamen loco neque Proclus neque quisquam alius hunc versum unquam collocavit — merito suspiceris in exemplari Procliano versum 169 fuisse post 173. Etenim superest quidem Procli adnotatio in versum 171 sed tacetur in scholiis eius de versibus 172. 173. Quod silentium cum praesertim in hisce versibus insolitum videatur et a moribus interpretis loquacissimi alienum, putaverim eam partem scholiorum Procli quae sequebatur post versum 171 usque ad versum 174 a librario neglegenter transpositam esse ad vs. 158, sed ita transpositam ut simul a capite detruncata sit. Quo factum est ut relicto tantum lemmate versus 173^b = 169 prior pars earum adnotationum evanuerit, et statim post lemma sit additum scholium non ad hunc versum pertinens sed ad extremos duos huius episodii versus, quos *Φληναφώδεις* iudicassent critici antiquiores.

Jam liceat indicare quid fere in hisce versibus $173^b = 169$ usque ad 174 enarratum esse videatur. Depicta vita heroum beata poeta — id quod optime perspexit Weilius — addere pergit quaedam de sorte Saturni:

τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων. Τοῖσιν Κρόνος ἐμβασιλεύει.

Vides eo versu respici versum 110. Ibi ergo noli legere cum Rzachio *ὅ τ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν* pro eo quod traditur in plerisque libris *ὅτ' οὐρανῷ*. Duo enim Saturni imperia, caeleste nempe et elysianum inter se opponit poeta, alter autem versus alterum defendit et ab exilio prohibet. Nec mirum. Eo enim tendit tota Theogoniae et Operum theologia ut Iovem nobis proponat iustum, pacatique universi rectorem clementem. Bellum quidem inter Titanes Olympiosque cruentum qua dignum est gravitate enarrat poeta, sed pacem inter *Κρόνον* et *Κρονίδην* conciliatam ab eius poemate abesse non sinit iustitia. An Prometheo salus proponetur, horridi supplicii finis,

οὐκ ἀέκητι Ζηνὸς Ὀλυμπίου ὑψιμέδοντος,

Saturnus autem in aeternum carcere includetur?

Ex animo igitur assentior Weilio versum 169 et retinendum esse et post versum 173 collocandum. Quod autem ad sequentes attinet versus diversa ab eo sequor. In iis quae proposuit displicet „πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε", quo titulo numquam minus apte Iuppiter ornatur quam hic ubi *patris sui* vincula laxasse narratur. Sed aliud accedit. Additum fuisse hoc versu necesse est, imperium patri Saturno ex parte esse redditum, et omnino adiciendum erat quo loco sedes nova Regis antiqui sita esset. In quo loco describendo „extremos illos mundi fines" significasse poetam suspicor, quos in homericis quoque carminibus vetustissimi dei inhabitare dicuntur quandocunque Tartari fabulas poeta sive ignorat sive neglegit (cf. quae diversas et inter se contrarias notiones reddunt Θ 13. 477, Ξ 203. 274. 278). Ipse Hesiodus varie de hisce γαίης καὶ πόντοιο πείρασι disserit. Confuse saepe, nec mirum, de locis subtartareis et orcinis (vide praesertim Theog. 732 cl. 746; 726. 728, 736—740 et de sede Atlantis quae iam extra Orcum est 744—48, sive de Styge 777), paulo disertius de terrae finibus ad Oceanum sitis. Ibi vero, ut ex praecedentibus quoque apparet, Saturni sedes — Κρόνου τύρσιν ut est apud Pindarum Orphicorum sectatorem — collocat Hesiodus. Quibus sedibus descriptis iam per extremos illos duos versus quos φαυλίζουσι, i. e. ἀποδοκιμάζουσι critici, transitum parat ad quintum genus. Versus itaque 169^b—169^e post versum 173^b = 169 ab Hesiodo scriptos sic refinxerim:

Ζεὺς γὰρ δεσμὸν ἔλυσε πατρὸς καὶ ἐπ' Ὠκεανοῖο
πείρασί οἱ νεάτοις τίμην βασιληΐδ' ἔδωκε.
Πέμπτον δ' ἄλλο γένος θῆκεν χείριστον ἁπάντων,
τῶν οἳ νῦν γεγάασι καὶ οἳ μετόπισθεν ἔσονται.

CONVERSUS IN PRETIUM DEUS.

Conversus in pretium deus [1]).

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

Inter priscae artis opera, quae asservantur in pinacotheca Vindobonensi, est tabula quaedam splendida veluti luce coruscans omniumque oculos vel eminus intuentium in se convertens, quae puellam formosissimam exhibet in cubili iacentem laetoque vultu sursum spectantem; nuda est et e stragulis purpureis corpus candidum mire refulget.

At propius accedentibus ea quoque fiunt conspicua quae cum in umbra delitescere iussisset pictor, clementior etiam vetustas situ abscondidit. Apparet iam fusca nubes puellae imminens nummosque aureos demittens, adstat autem taetra quaedam anus, quae pateram protendit ut opum illarum aliquid intercipiat.

Imagini pulcherrimae quis cur tam turpia admiscuit? Norunt omnes qui harum rerum non plane sunt rudes: est haec Danaë a Titiano picta, est deus in nummos mutatus, quem dixit Horatius.

At non talem Danaën aevo vetusto finxit Graecorum vis poetica. Est haec imago venusta quidem magnoque artifice

1) Hom. Ξ 346 sqq., Menandr. Sam. 244 sqq., Ter. Eun. III 5, 35, Hor. Carm. III 16, Ovid. Amor. III 8, 29 sqq.

digna, at eadem turpissima et artis misere aberrantis documentum. Nempe Titianus fabulam, quae est de Danaës et Iovis amoribus, pictura talem reddidit qualem mente sibi informaverat, talem qualem didicerat. Allegoria quaedam ei visa est minime obscura; putabat lepide sic expressum esse id quod vita nimis saepe docet: plurimum valere pecuniam ad virginum pudorem labefactandum. Quam sententiolam poeta lyricus tersis versiculis sed ad Pindari gravitatem minime accedentibus sic expressit:

Inclusam Danaën turris ahenea
Robustaeque fores et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
  Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium virginis abditae
Custodem pavidum Iuppiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
  Converso in pretium deo!

Etiam apertius novisque additis verborum artificiis poeta Amorum:

Iuppiter admonitus nihil esse potentius auro
  Corruptae pretium virginis ipse fuit.
Dum merces aberat, durus pater, ipsa severa,
  Aerati postes, ferrea turris erat:
Sed postquam sapiens in munera venit adulter,
  Praebuit ipsa sinus et dare iussa dedit.

En habemus puellam venalem si modo emtorem invenerit, habemus moechum munuscula et nummos afferentem: aptus hic est locus lenae aurum captanti. Pecunia videlicet, non pluvia corrupta est virgo illa, quae tamdiu mansit pudica quamdiu nemo adfuit qui corrumpendae faceret periculum.

Usque adeone deturpari potuit fabula gravis et decora, quae erat de patris caelestis cum terra matre nuptiis! Potuit sane,

immo debuit! Quae prisci vates afflante musa olim cecinerant, ea postquam pervenerunt ad recentioris aevi homines, qui non pia mente ea conderent sed vero quam similia essent rogarent, in iocos naeniasque tandem abierunt.

Placuisse eiusmodi iocos Romanis Augusti aequalibus non est quod miremur, sed neque ea aetate neque Romae sunt nati; compluribus saeculis ante Ovidium et Horatium Athenis fuere qui priscos Graecorum mythos ita propudio haberent; quid quod ne epicus quidem poeta ille, qui Demodocum fecit Martis et Veneris amores cantantem, priscorum numinum cultorem se praestitit magis pium quam postea fuit Horatius vel Ovidius.

Nempe de rebus divinis ut de humanis disputare cum homines coeperunt et deos secum, se cum diis conferre, fieri non potuit quin contemtioni obnoxiae fierent fabulae vetustae quae erant de caelitibus et heroibus. Probabiles non iam poterant duci, immo inanes, ineptae, ludicrae videbantur vel etiam acerba reprehensione dignae; homines prouti ad vituperandum aut ad ridendum magis propensi erant, aut graviter eos improbant aut de iis iocabantur. Minerva ex Iovis capite nata, Bacchus ex eius femore, Helena ex ovo, deumque hominumque pater in cycnum vel in taurum mutatus multaque quae erant huiuscemodi modo in iocos abierunt, modo turpia atque nefaria mendacia sunt dicta. Nequam autem homunciones fabulis quae erant de deorum flagitiis abuti, ut suis ipsorum facinoribus veniam peterent: talia si licerent superis, quidni et miseris mortalibus concederentur; in caelo si non esset scelestum fallere vel furari, rixari vel amori indulgere, cur tandem in terris ea omnia improbarentur! Et meminimus Iniustum oratorem in scena Aristophanea versutis verbis haec omnia demonstrantem, meminimus iuvenem, qui ex illa disciplina recens patri suo colaphos infregit impudentissime.

Sic etiam splendidum carmen, quod erat de terra matre, quae apud alias gentes aliis nominibus colebatur, vere novo a patre caelesti amata ut laetam mox prolem in lucem ederet, sensim abiit in fabellam anilem, dea in puellam a patre severo inclusam, et nubes illa a priscis poetis celebrata, quae amores dei deaeque casto velo protegebat guttasque demittebat radiis solis in gemmas multicolores conversas, ea ... sed Homeri recordemur oportet, ut probe persentiamus quam misere a posteris pessumdatum fuerit prisci vatis inventum:

ἄγκας ἔμαρπτε Κρόνου παῖς ἣν παράκοιτιν·
τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα 'Φύσεν νεοθηλέα ποίην,
λωτὸν ἐερσήεντα ἰδὲ κρόκον ἠδ' ὑάκινθον
πυκνὸν καὶ μαλακόν, ὃς ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἔεργε.
τῷ ἓν ἐλεξάσθην, ἐπὶ δὲ νεφέλην ἐέσαντο
καλὴν χρυσείην· στιλπναὶ δ' ἀπέπιπτον ἔερσαι.

Ecce imbrem illum, qui aureus dictus est a poetis, ut caelestia quaevis et ipsa amoris dea Venus. Sic Pindarus cecinit auream pluviam quae tum, cum Iuppiter Alcmenam adiit, in terras descendit, nec non auream pluviam, quae hominum arva fecundavit tum cum nata est Minerva.

In Iliade tamen non de Danaë, sed de ea Iovis uxore, quam solam norunt poetae recentiores, haec narrantur; ceterae Διὸς ἄλοχοι magis magisque contemnebantur: Iunonis paelices factae sunt Alcmena et Latona et Io et Danaë et quae non; quae prisca carmina ferebant, apta iam sunt visa quae effingerentur in fabulas quo magis festivas eo minus graves piasve. Danaë autem quo abierit vidimus. Canes custodesque ei sunt appositi: at corrumpi possunt custodes; thalamo inclusa est: at „nullae tam bene clausae sunt aedes quin per rimam aliquam sive mustela irrepere possit sive amator": mustelae igitur ad instar per tecti rimas insinuavit se adulter caelestis. Casta erat virgo, at omnia vincit ... non amor, sed aurum:

vincit quoque pudicitiam. Depicti quoque sunt Danaës et Iovis amores multis saeculis ante Titianum, recordamur enim comici Latini, qui Chaeream suum haec fecit narrantem:

(balneum) dum apparatur, virgo in conclavi sedet,
Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura [haec, Iovem
Quo pacto Danaae misisse aiunt quondam in gremium im- [brem aureum.
Egomet quoque id spectare coepi: et quia consimilem luserat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in imbrem convertisse, et per alienas tegulas
Venisse clanculum: per pluviam fucum factum mulieri.
At quem deum! qui templa caeli summo sonitu concutit!
Ego homuncio hoc non fecerim? Ego vero illud fecerim ac [lubens!

Quae quin e Menandro duxisset Terentius, nemo ut opinor dubitavit unquam, nunc autem digito indicari potest fons ille, quem antehac suspicabamur tantum. Nam etsi Menandri fabula ea, quam in Eunucho secutus est comicus Latinus, ad nos non pervenit, at versus simillimos iam praebent Samiae Menandreae fragmenta, quae cum aliarum fabularum fragmentis nuper Lefeburius felicissimo acumine indagata ex Aegypti arenis protraxit. Demeae viri divitis filius adoptivus corrupit Nicerati hominis pauperis in aedibus vicinis habitantis filiam, quae gravida facta est et nuper puerum est enixa; res aliquantisper est celata, iam vero compertum habet Niceratus filiam suam peperisse, sed a quo compressa fuerit nescit. Furore percitum Demea ita sedare conatur:

ΔΗΜΕΑΣ.

σεαυτὸν ἀνάλαβε.
οὐκ ἀκήκοας λεγόντων, εἰπέ μοι, Νικήρατε,
τῶν τραγῳδῶν ὡς γενόμενος χρυσὸς ὁ Ζεὺς ἐρρύη
διὰ τέγους, κατειργμένην δὲ παῖδ' ἐμοίχευτεν λάθρᾳ;

ΝΙΚΗΡΑΤΟΣ.

εἶτα δὴ τί τοῦτ';

ΔΗΜΕΑΣ.

ἴσως δεῖ πάντα προσδοκᾶν· σκόπει
τοῦ τέγους εἴ σοι μέρος τι ῥεῖ.

ΝΙΚΗΡΑΤΟΣ.

τὸ πλεῖστον! ἀλλὰ τί
τοῦτο πρὸς ἐκεῖν' ἐστί;

ΔΗΜΕΑΣ.

τότε μὲν γίγνεθ' ὁ Ζεὺς χρυσίον,
τότε δ' ὕδωρ, ὁρᾷς· ἐκείνου τοὔργόν ἐστιν. ὡς ταχὺ
εὕρομεν!

ΝΙΚΗΡΑΤΟΣ.

καὶ βουκολεῖς με;

ΔΗΜΕΑΣ.

μὰ τὸν Ἀπόλλω ἐγὼ μὲν οὔ.
ἀλλὰ χείρων οὐδὲ μικρὸν Ἀκρισίου δήπουθεν εἶ —

cetera. Manifestus igitur iam tenetur is quem Terentius est secutus. Sed et is quem Horatius. Apud quem quod vetusta fabula inprimis indignum est et vere scurrile, *pretium* dico nomen sive *nummos* pro imbre aurato substitutos, id iam extat in Demeae his verbis, χρυσίον enim dixit, non χρυσόν, *aureos*, non *aurum*.

Quae intellegimus, facilius ignoscimus. Titianum non ex sua mente exprompsisse turpem illam anum vel nubem nummorum feracem, sed ex Horatio duxisse, hunc ex exemplo Graeco, postquam perspeximus, magni artificis pulcherrimam imaginem foedis additamentis infectam ... non minus quidem dolemus, sed minus indignamur. At nobis Danaë non est facilis puella, quae danti dedit haud invita, sed ea quae fuit priscis vatibus: terra mater, patris caelestis coniux, quicquid vivit spiratque e gremio feraci edens.

Satis probabiliter utinam haec disputata videantur Tibi, optime Naber, Amice quam maxime venerande! Cui nisi accepta sint, nihil egisse me arbitrabor. Nam et quidquid in medium profero Tibi placere cupio semper, et haec eo tantum consilio litteris mandavi ut inseri possent libro, quem tuum in honorem conscripsimus philologi Batavi. At etiamsi minus laudes huius disputatiunculae argumentum, laudabis consilium eius qui scripsit, sat scio; senties enim gratum eum Tibi facere voluisse, et gratum id ipsum Tibi erit. Gratulor Tibi hunc diem, gratulor tuis, gratulor nobis omnibus — et permulti sumus — qui colimus Te atque diligimus, utque diu etiam pergas honoratissimum istum locum inter nos obtinere, quem nunc obtines, etiam atque etiam opto.

DE VOCABULIS MEDICIS APUD M. ANTONINUM OBVIIS.

De vocabulis medicis apud M. Antoninum obviis.

SCRIPSIT

I. H. LEOPOLD.

Sat multi extant loci apud M. Antoninum, ubi corporis humani mentio inicitur. Etenim auctor ad doctrinam illustrandam vel adhortationem confirmandam haud raro corpus eiusque fabricam in testimonium adducit nec non homini Stoico sollemne est imbecillitatem et fragilitatem corporis, *τοῦ σωματίου, σαρκιδίου, κρεᾳδίου* cum contemptu exponere, quo magis intellectus et spiritus illius rectoris praestantia eluceat.

Itaque cum voces corporis anatomiam et officia designantes apud nostrum frequenter inveniuntur, qua in re sufficiat ad c. c. X. 35; 26 et ad locum illum paene infamem de *ἐντερίου παρατρίψει* VI. 13 provocasse, tum praecipue vocabulorum, quae morbos, vitia, imperfectiones quibus corpus obnoxium esse solet significant, satis magna occurrit copia: *ἀλγηδόνες, ἀνορεκτεῖν, ἀπόστημα, γράσων, διαπυίσκεσθαι, διάστροφος, ἰκτεριᾶν, ἰλιγγιᾶν, καυματίζεσθαι, κεφαλαλγία, λοιμός, ὀζόστομος, ὀφθαλμιᾶν, παραληρεῖν, παροξυσμός, πυρέσσειν, πυώδης, ὕπουλος, φῦμα*; remedia quoque commemorantur: *ἀντιφάρμακον, ἀνυποδησία, δίαιτα, διόρθωσις καὶ θεραπεία, ἐπίθεμα, ἱππασία, ψυχρολουσία.*

Praeterea tamen hic illic occurrunt vel voces singulae vel

loci integri, qui paullo reconditiorem medicinae cognitionem prodere videntur et technicum fere colorem prae se ferunt. E. gr. ἀναδίδοσθαι IV. 20; V. 26, quae vox proprie de liquoribus, de sanguine, de felle usurpatur, cf. Galen. V. p. 46; ἀνυστικὸν βοήθημα IV. 50, cf. Diosc. Parab. 2. 115; δυσαποκατάστατος XI. 8, cf. Galen. II. p. 397 et 399; ἐξαιμάτωσις IV. 21, cf. Galen. ad Glauc. 2; ὁμότονος I. 14, quam vocem medici de febri adhibere solent; προσπλέκειν X. 7, quae vox passim apud Galenum in mixtionibus describendis usurpatur; denique loci quales sunt II. 2: λύθρος καὶ ὀστάρια καὶ κροκύφαντος, ἐκ νεύρων, φλεβίων, ἀρτηριῶν πλεγμάτιον, V. 9: ὡς οἱ ὀφθαλμιῶντες πρὸς τὸ σπογγάριον καὶ τὸ ᾠόν, ὡς ἄλλος πρὸς κατάπλασμα, ὡς πρὸς καταιόνησιν.

Ultimis locis nec non I. 16 φαρμάκων καὶ ἐπιθεμάτων ἐκτός et IV. 21 διὰ τὰς ἐξαιματώσεις, διὰ τὰς εἰς τὸ ἀερῶδες ἢ πυρῶδες ἀλλοιώσεις glossemata deprehendere sibi visus est vir acutissimus Rendall (Journal of Philology XXIII. p. 119); technicam scientiam imperatori obtrudere non vult, suspicatur manuscriptum commentariorum a medico quodam perlectum et hic illic annotatum esse, qua in re in promptu est de ipso Galeno cogitare.

Audi tamen, quid de alio Stoico Romano, de Seneca nostrae aetatis medicus iudicaverit. V. d. K. F. H. Marx (apud I. Ilberg A. Cornelius Celsus. Neue Jahrb. f. Phil. XIX. 6. p. 378) haec opinatur: „Seneca's Aüsserungen über Gesundheit und Krankheit überraschen ebenso durch ihre Zahl wie durch ihren Inhalt. Die Bemerkungen scheinen nicht von einem Nichtarzte oder Dilettanten, sondern von einem erfahrenen, gediegenen Praktiker herzurühren".

Tam intimam rei medicae scientiam impraesentiarum Antonino imputare nolumus; tamen si Senecae recondita illa medicinae cognitio conceditur, non temere agere nobis videmur,

si et Antonino haud communem et satis amplam huius artis notitiam vindicare conamur, praesertim cum in hac re eum suis ipsius admonitionibus obsecutum esse appareat, quippe qui praeter τὸ φυσιολογεῖν VIII. 13; X. 9; VII. 67 etiam τὸ παθολογεῖν VIII. 13 sibi praescripserit.

Quo modo autem haec medicinae et rerum naturalium scientia tam apud Senecam quam apud nostrum explicanda sit, utrum ex doctrina Stoica an aliunde repetenda, alias fortasse investigabitur.

AD HOMERUM.

Ad Homerum.

SCRIPSIT

J. MEHLER.

Inter ea quae in recognoscendo lexico homerico, a patre instituto, inveni pauca quaedam sunt, fortasse non indigna quae tibi, venerande magister, hoc sollemni die, annum aetatis octogesimum explenti, grati animi significandi causa offeram. Sunt anni plus viginti cum adulescentulus te audire coepi, non ea quidem assiduitate quam tu a filio amici tui exspectaveras — nam vita liberior in urbe plena iucunditatum alumnum Minervae ad colendos deos minus severos illexerat —, sed tamen magna tuae doctrinae admiratione et ... vix ferens aciem oculorum tuorum, cum ex adverso cathedrae tuae in subsellio ad „respondendum" consederam. Sed haec prius fuere. Nunc grata memoria recolens quae per multos annos, immemor neglegentiae meae, mihi impertire voluisti, hoc munusculum ut a discipulo accipere digneris te rogo.

Ψ 493 *μηκέτι νῦν χαλεποῖσιν ἀμείβεσθον ἐπέεσσιν,*
Αἴας Ἰδομενεύς τε, κακοῖσ', ἐπεὶ οὐδὲ ἔοικε.

Sunt verba Achillis, quibus Aiacem et Idomeneum ad silentium redigit. Quid sint *χαλεπὰ ἔπεα* cuivis notum est, quare autem additum sit *κακοῖσ'* non facile expediveris. Neque minus est verum quod scribit Leaf[2]: *„the position of κακοῖσ' is unexampled"*. Estne igitur cur totum versum cum Heynio deleamus? Non credo, nam medicinam mihi invenisse videor, qua

adhibita nihil in versu inesse puto quod quemquam offendat. Si pro κακοῖσ' ἐπεὶ legerimus κακοὶ ὥς, omnia recte procedent. Quid errorem creaverit apertum est: cum κακοὶ ὥς in κακοῖς abisset, necesse erat subvenire metro claudicanti. Οὐδὲ ἔοικε simili modo positum invenias Φ 322, Φ 436.

Eodem libro versu 627 substantivum γυῖα nemo interpretari potuit neque credo quisquam interpretari poterit. Quod Duentzer suasit, quamquam sententiae satisfacit, violentius videtur. Haud scio an lenius rescribatur οὐ γὰρ ἔτ' ἔμπεδοί εἰσι, φίλος, πόδες. Versum N 512 ascriptum causam fuisse corruptelae suspicor.

Ω 349 οἳ δ' ἐπεὶ οὖν μέγα σῆμα παρὲξ Ἴλοιο ἔλασσαν.

Hiatus inter Ἴλοιο et ἔλασσαν nihil habet quo excusetur. Mihi in mentem venit verbi ἐλίσσειν, quod omisso obiecto legitur Ψ 309 περὶ τέρμαθ' ἑλισσέμεν (Bentl. τέρμα ϝελ.), pro quo versu 466 habemus εὖ σχεθέειν περὶ τέρμα. Quod verbum ab hoc loco non alienum esse videtur, qua re temptaverim Ἴλοιο ἕλιξαν (Ϝίλοιο ϝέλιξαν).

δ 841 ὣς οἱ ἐναργὲς ὄνειρον ἐπέσσυτο.

Ὄνειρον substantivo neutro genere poëtam hoc uno loco usum esse traditum est. Qua de re non dubitarem, nisi coniunctum esset cum adiectivo ἐναργές. Fick enim demonstravit Τ 131 pro ἐναργεῖς reponendum esse adverbium ἐναργές. Quod si verum est, fuisse adverbium ἐναργές, hoc Odysseae quoque loco ἐναργές pro adverbio habendum censeo, neque quicquam obstat quominus neutrum ὄνειρον loco cedat masculino ὄνειρος.

κ 110 ὅς τις τῶνδ' εἴη βασιλεὺς καὶ οἷσιν ἀνάσσοι.

Post τῶνδε mihi languere videtur pronomen possessivum reflexivum (ϝ)οῖσι, quam codicum lectionem etiam editores

Batavi in novissima editione probaverunt. Cogitavi de (ϝ)ῑΦι ϝανάσσοι, quod certe non multum a (ϝ)σῖσι distat.

κ 235 ἀνέμισγε δὲ σίτῳ | Φάρμακα λυγρά.

Potestne κυκεών appellari σῖτος? Posset, si verum esset quod scripsit O. Benndorf (altgriechisches Brot, in Eran. Vindob. p. 578): „*wie der Kykeon, der, je nachdem man ihn dünner oder dicker herstellt, getrunken oder gegessen wird* (*in der Ilias ist er πότος*, in der Od. σῖτος) . . ." Sed ubi ille κυκεών in Odyssea σῖτος appellatur? Solum hoc loco, ubi tamen non „*gegessen*", sed „*getrunken wird*". Pergit enim poëta: αὐτὰρ ἐπεὶ δῶκέν τε καὶ ἔκπιον, ut versu 316 Ulixem narrantem inducit: τεῦχε δέ μοι κυκεῶ χρυσέῳ δέπα' ὄφρα πίοιμι. Itaque κυκεών non est cibus, sed potio. Efficitur ut locus sit corruptus. Quem facili opera emendaveris scribendo ἀνέμισγε δ' ἔπειτα.

χ 183 sq. τῇ ἑτέρῃ μὲν χειρὶ Φέρων καλὴν τρυφάλειαν,
τῇ δ' ἑτέρῃ σάκος εὐρὺ γέρον.

Nusquam alibi γέρον adiectivum est, nusquam alibi de re dicitur. Qua de causa vir clarissimus J. J. Hartman γέρον in Φέρεν mutari iussit. Quae mutatio quamvis lenis sit, mihi tamen magis placet:

τῇ ἑτέρῃ μὲν χειρὶ ἔχων καλὴν τρυφάλειαν,
τῇ δ' ἑτέρῃ σάκος εὐρὺ Φέρων.

2) *Droit privé de la républ. Athén.* (1897) p. 100 (post notam 3): „*la possession .... n'est dans le droit attique l'objet d'aucune protection semblable à .... nos actions possessoires.*" Cf. Meier et Schoemann, *der att. Prozess* p. 493 (Lipsius p. 674/5).

3) Photiadi utique (p. 156), ex diverso Pappuliae (p. 362) sola praedia, quod caveatur ἀπ' ἀναδασμοῦ γῆς,

4) v. Ἐξούλης.

5) Demosth. XXXII (cf. Thalheim, Herm. XXIII (1888) p. 202—210).

6) Or. cit. § 17, § 20.

7) Or. cit. § 1.

omne omnino iuris vinculum. Quamobrem Demonis multum intererat inveniri in lege συγγραφῶν mentionem, quod non perspexit Thalheim [1]). Ergo, contra quam putat hic [2]), de suo fortasse συγγραφῶν mentionem intulit Demo, quum alibi [3]) in pari causa desit et damnet clausulam Anonymus Bekkeri [4]) v. δίκη ἐμπορική, quod interpretatur ὄνομα δίκης, ἣν πρὸς τοὺς ἐμπόρους περὶ ὁτουδὴ λαγχάνουσιν, quod praeterea confirmatur auctoritate Lysiae [5]). Sunt autem in Demonis Zenothemidisque iudicio notabilia: quod hic non patitur ex possessione deduci se a Proto Demonis vel debitore vel institore sed ab ipso Demone [6]); quod huic iussioni Demo obtemperat [7]); quod non huic tantum, qui deduxisset, sed etiam Proto actionem intentat Zenothemis [8]). Scilicet Protum non admisit alieno nomine deductorem, ne post deductionem èt Demo iudicium recusaret, quod non deduxisset, èt Protus, quod non suo nomine deduxisset [9]). Postulavit, ut aut suo nomine hic deduceret aut Demo deduceret; quum illud Protus nollet offerretque vice iustae defensionis sponsionem poenalem Syracusas [10]), paruit Demo: deduxit. Quaerit hic Thalheim [11]) sapienter, quomodo

---

1) Herm. cit. p. 209: *„auch wenn das Gesetz nur von συμβ. sprach, so genügte dies dem Verfasser für seine Zwecke völlig."*

2) Pergit: *„und deshalb halte ich den Zusatz für echt."*

3) Demosth. XXXIII § 1, § 2.

4) Anecd. I p. 237/8.

5) XVII § 5.

6) Orat. cit. (Demosth. XXXII) § 17.

7) Or. cit. § 20.

8) Or. cit. § 26.

9) Ex diverso putat Mitteis, *Ztschr. des Sav.-St.* XXIII (1902) p. 292, propterea recusasse, quod Protum satis munitum sciret instrumentis. Quasi vero eadem illa Demoni creditori profutura non fuissent, quamdiu in fide maneret Protus. Quod perspexit ipse Mitteis, itaque propterea recusatum Protum rursus fingit, ut fides eius labefactaretur *(„insofern, als die Umgehung des Protos diesem von selbst zeigen musste, wo sein wahres Interesse lag")*. Quo nihil potuit excogitari contortius.

10) Or. cit. § 18: προύκαλεῖθ' ὁ Πρῶτος αὐτὸν.... ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τὴν τῶν Συρακοσίων.

11) Herm. cit. p. 205 ima.

Zenothemis efficere hoc potuerit, quum possideret Protus [1]). Etenim videri possidentem aliquid efficere posse negando se deduci, sed non possidentem et deduci nolentem tuto posse contemni [2]). Et respondet Mitteis [3]) non prudenter: propterea potuisse, quod negaret Protum possidere. Ergo possidebit quisque vel non arbitrio adversarii? In eo quaestio consistit: quomodo Zenothemis potuerit possidentem cogere, defensionem ut omitteret, non possidentem, ut susciperet. Aut potuit, quia ius erat certum: possessione cedendum [4]), qui suo nomine deducere nollet. Aut potuit, quia non erat possessio firma, quo verba ducunt, nam εἶχετο τοῦ σίτου Zenothemis [5]) ἀντείχετο Protus [6]), quod procedit optime, si frumentum in horreo publico quasi apud sequestrem iacuit. Ergo propterea legem sibi ferri ab adversario passi sunt Protus Demoque, quia non poterant aliter possessionem retinere vel nancisci. Porro autem huic ἐξούλης, Proto κλοπῆς vel βλάβης Zenothemis actionem intentavit [7]). De hac actione Protus depectus est [8]), atque sic ingens praeiudicium Demo passus [9]) praeter ipsam παραγραφὴν habebat, quod speraret, nihil. Alterum ad mobilem pertinens rem ἐξούλης exemplum proponitur apud Lysiam [10]), quae species est iure

1) Or. cit. § 14: τὸν δὲ σῖτον ὁ ἠγοραικὼς εἶχεν.

2) *„Das (Ablehnen der ἐξαγωγὴ) hätte doch nur Sinn als Vertheidigungsmaassregel, wenn Z. im factischen Besitze sich gegen P. und D. zu wahren (gehabt) hätte."*

3) *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902) p. 290.

4) Metu scilicet gravioris poenae.

5) Or. cit. § 18.

6) Or. cit. § 25.

7) Hanc quoque δίκην ἐμπορικὴν fuisse, docet auctor τῆς ὑποθέσεως (§ 3). Errat utique Thalheim, quum scribat (Herm. cit. p. 204) ἐξούλης Protum conventum damnatumque (Mitteis, *Ztschr.* cit. p. 291/2: hypothecaria actione, quod eodem redit). Verum viderat Hug, comment. de or. adv. Zenoth. (1871) p. 18/9.

8) Or. cit. § 26.

9) Or. cit. § 21. — Praeiudicium factum esse Demoni, optime perspexit Thalheim, Herm. cit. p. 204/5, sed non perspexit èt proprietatis causae per furti actionem praeiudicari, èt furti recte agi πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, si recte agatur ἐξούλης ἐμπορικὴ, quum neutra ex contractu sit.

10) XXIII § 11.

domini manus inicientium et dicentium se paratos *ἀφιέναι, εἴ τις .... ἄγοι φάσκων ἑαυτοῦ δοῦλον εἶναι*, id est, cum quo habituri essent *τὴν ἐξούλης*. Quin immo non de rebus corporalibus dumtaxat, sed etiam de quantitate certa agi potuisse *τὴν ἐξούλης* et extra causam iudicati, demonstrat orator, quocum certandum fuit Callippo [1]), verbis Callippi de pecunia deposita et ablata denuntiare iubens ei, qui abstulisset: *ὅτι ... εἴ τίς με βούλεται ἀφελέσθαι πρόξενον ὄντ' ἂν* [2]) *ἀφαιρεθῆναι* [3]). Ex diverso praediorum *ἐξοῦλαι* non desiderantur [4]). In quarum numerum non recte videtur referre Mitteis [5]) Panatis litem cum Thotortaeo de finibus [6]), ubi Panati defertur iusiurandum hac lege [7]): *δρ(α)ξάμενον* [8]) *τῆς γῆς ἀπὸ τῶν ὁρίων ὀμόσαι ἐπὶ τοῦ Κρονείου τὰ ὅρια εἶναι ταῦτα τῆς γῆς*. Quod sic interpretatur Mitteis [9]), quasi Panas iussus sit praedium de cuius finibus litigabatur apprehendere et adversarium inde deducere, antequam iuraret proprietatem suam [10]), nec observat [11]) hoc modo clausulam *ἀπὸ τῶν ὁρίων* omnino fieri supervacaneam. Haud magis placet versio Leopoldi Wenger [12]): iurare iussum Panatem, qui possessionem praedii occupasset [13]), quo casu scriptum oportebat *τὸν δραξάμενον* et erit vel sic clausula *ἀπο τῶν ὁρίων* supervacanea. Crediderim *τῆς γῆς* ex dittographia esse natum,

---

1) Demosth. LII § 10.
2) Editur *ὄντα*.
3) Cf. Isae. III § 62: *εἴ τις αὐτὴν ἀφῃρεῖτο .... ἐξῆγεν ἂν ἐκ τῶν πατρῴων.*
4) Cf. e. g. Isae. III § 22; V § 22; Demosth. XXX.
5) *Ztschr.* cit. p. 283, 296.
6) Pap. Grenf. I no. 11.
7) Pap. cit. col. II lin. 14/5.
8) Edebatur *δρυξάμενον*. Correxit Wilamowitz-Möllendorff.
9) *Ztschr.* cit. p. 278.
10) *„sich des Feldes bemächtigen von den Grenzen und dann beim Kronostempel schwören."*
11) Certe dissimulat p. 283.
12) *Ztschr.* cit. p. 210.
13) *„der sich des Grenzlandes bemächtigt habe."*

quum elementa τ et γ in papyris utique commutentur [1]), proinde cancellandum τῆς nec aliud iussum Panatem nisi iurare aliquantum pulveris ex ipso confinio lecti manibus tenentem [2]). Post quod locus pertinebit non ad τὴν ἐξούλην sed ad aliquod superstitionis genus. Erit hic disputationis finis, non erit sermonis quem tecum hodie institui. Etenim nullus umquam aptior locus datus est vel potest sperari significandi, quantum tibi me debere sentiam patri magistroque. Quo utroque titulo nihil homo homini praestare potest, quin id mihi tu praestiteris. Quod est patris: infantiam meam a periculis insidiisque tutatus es, pueritiam diligenter excoluisti, adulescentiam omnibus exemplis vitae purae et a mala cupiditate alienae corroborasti. Horum quidem pars magna fuit mater, quam tibi etiamnunc post rerum tot vicissitudines divino beneficio consortem sociamque auribus quidem captam ceteroquin bene sanam corpore animoque adesse, id vero hercle omnem gratulationem excedit. Sed proprium tuum, quod ingenium meum, qualecumque est, paene solus finxisti, tu solus animum meum omnium rerum notitia, quibus liberalis a sordido discernitur, instruxisti, id denique magister impertisti, quod summi loco beneficii ponere soleo, ne, sicut plerique, ante servitutem Germanice vel Anglice crocitare cogar aut silere. Multi sunt, qui hoc volumen grati erga te animi testimonio suo ornare voluerunt. Sed nulli causa iustior quam mihi. Restat unum. Attigisti tu quidem longaevi hominis aetatem, attamen ne propterea animum demittere velis, quum futura prospicias. Viges valesque plena corporis valetudine integris animi corporisque viribus. Quae licet aeternae esse non possint, attamen nescis, quamdiu uti iis recte tibi deus permissurus sit. Quocirca

1) Gradenwitz, *Einführung in die Papyrusk.* (1900) p. 24.

2) Ergo recte loco gemino (col. I lin. 15) supplevit Wilamowitz-Moellendorff λαβόντα (γῆ)ν non (τὴν γῆ)ν.

auctor sum, ut ab hoc die, qui septimum decimum lustrum inaugurabitur tibi, tristitiam exulare iubeas; petulantiam non admisisse sufficiat. Sed longe aliud petulantia, aliud serenitas, quam tibi hodie vel maxime convenire censeo. Quodsi praeterea magnum aliquod opus hodierno die mente conceperis, quod reliquum vitae tempus bene compleat cumuletque aliquando laudibus senectutem tuam, nae tunc diem omnium dierum tibi mihique felicissimum hunc illuxisse decrevero.

ΠΡΟΣΩΠΟΝ ET PERSONA.

Πρόσωπον et Persona

SCRIPSIT

H. M. VAN NES.

Inter voces quarum usus dignus sit qui summa cum cura investigetur *πρόσωπον* et *personam* locum minime tenere ultimum constat omnibus. Neque mirum est quod Rud. Euckenius, Jenensis philosophus, omnium consensu primus in explicandis terminis et notionibus aetatis nostrae fundamentalibus, nuperrime libenter edidit Trendelenburgii tractatum postumum de duobus his vocabulis, etiamnunc lectu dignissimum propter delectabilem expositionis formam, licet paene XL annis abhinc scriptus sit. Multo plura tamen data sunt a Siegm. Schlossmanno, qui anno MCMVI opusculum composuit de his vocibus, in quo nescis quid plurimum sis admiraturus, eruditionem philologicam an iuridicam an theologicam. Auctoris propositum hoc est, ut demonstret opinionem Iurisconsultorum communem de voce personae ut indicante conditionem statumque quendam a recentioribus „personalitatem iuridicam" nominatum omni solido fundamento carere in fontibus. Incredibili copia contulit exempla argumentaque vir doctus ex auctoribus prompta diversissimis, quorum ope fortasse iurisprudentiae

monstrum explosit, certe quaestionem demonstravit ipsam intricatissimam esse [1]).

Est longa via neque recta quae ducit a larva histrionali ad Thomae Aquinatis rationalis naturae individuam substantiam vel si mavis a Phaedri (I 7) persona, de qua vulpes, o quanta species, inquit, cerebrum non habet! usque ad Regimontani magistri definitionem de eo qui sui finis ipsius (Selbstzweck) est. Me totam eam viam percurrere neque spatium neque tempus mihi concessum patitur; revera maximi est momenti quam significationem posterioribus temporibus voces adeptae sint apud Iurisconsultos, theologos imprimis in disputationibus de trinitate et de duabus in Christo naturis, philosophos ante et post Kantium, sed expositio horum omnium nimis transgrederetur symbolae huius fines. Quod nunc volo nihil est nisi conferre observationes paucas ad usum vocabulorum apud veteres auctores et in sacro Codice.

Etymologica disceptatio parum iuvat. Graeca voce inde ab Homero usitatissima τὸ πρὸς τοῖς ὠψὶ μέρος describi per me licet: de Latino vocabulo nihil constat. Notissimus est locus Noctium Atticarum V 7, ubi Gellius narrat personae vocabulum quam lepide interpretatus sit quamque esse vocis eius originem dixerit Gavius Bassus, nempe a personandi verbo derivans. Caput, inquit, et os coperimento personae tectum undique unaque tantum vocis emittendae via pervium, quoniam non vaga neque diffusast, in unum tantummodo exitum collectam coactamque vocem ciet et magis claros canorosque

1) R. Eucken: Grundbegriffe der Gegenwart, tertium editum sub titulo Geistige Strömungen der Gegenwart. Leipzig 1904 ubi vide p. 344 sq. Kant-Studien. Berlin 1908, Band XIII Heft 1 u. 2 p. 1 sq. Ad. Trendelenburg-Eucken, Zur Geschichte des Wortes Person, cum appendice p. 194 sq. ubi editor Studiorum Vaihingerus laudat librum Siegmundi Schlossmanni, de quo in contextu locuti sumus: Persona und Πρόσωπον im Recht und im christlichen Dogma. Kiel u. Leipzig 1906.

sonitus facit. Quoniam igitur indumentum illud oris clarescere et resonare vocem facit, ob eam causam persona dicta est, o litera propter vocabuli formam productiore.

Bassus ipse sensit obstare huic derivationi quantitatem; quamquam ei gratias agimus propter ἀκουστικὴν explicationem, τὸ ἔτυμον vocis non videtur aperuisse. Latinam originem alii variis modis defenderunt. Vetus vocabularium per se unam contendit personam esse, sed hoc nimis philosophiam redolet, neque facere possumus cum iis qui per se onam explicant, per se plenitudinem, collatis annona, Pomona, talibus. Superest Graeca origo quam plurimi accipiunt, non cum Scaligero qui περὶ σῶμα et περίζωμα fertur attulisse, sed cum iis qui derivant a προσώπου voce, quam veteres Romani vitiosa pronuntiatione in personam mutarint, ut inversa ratione τὴν ΠερσεΦόνην Proserpinam vocarunt. Concedo tamen mihi valde placere viam, quam nuperrime Wageningenius (Mnemosyn. MCMVII p. 114–118) ingressus est ad explicandam originem puram putam Latinam. Invenisse sibi videtur radicem *pers, quae caput vel aliquid capitis simile significat. Idem stemma recurrere demonstrat in vocabulis πράσον et porrum, collato versu Moreti 74 „hic siser et nomen capiti debentia porra", atque praeterea servatum esse in nomine proprio Persius (= Capito) et in deminutivo persillum, quod vasculum denotat forma capitis simili. Me quidem iudice haec etymologia multis partibus veri similior quam Wiedemanni (apud Schlossmannum p. 13 in adnotatione), qui derivat a stemmate *percs (indumentum) quod frustra quaeritur alibi.

Tum demum solidum ingredimur, cum usum quo verba valent spectamus. Facile intelligimus quomodo πρόσωπον faciem denotans transierit in alteram significationem larvae, quippe faciei ficticiae ludis in scenicis. Nam quod asserunt de di-

stinctione πρόσωπον inter et προσωπεῖον, tantum de recentioribus Graecis valet, cum veteres Attici prius vocabulum promiscue pro larva facieque adhibuerunt. Significatio Latinae vocis ab initio larva est. Ante Roscium Gallum histrionem, licet narretur hic primus persona uti coepisse in Atellanis, et ante Atellanas in funeribus, quibus imagines maiorum cereae gestabantur, usus larvarum apud Romanos multiplex fuit. Distinguuntur persona tragica, persona comica, persona muta (κωφὸν πρόσωπον), et arcte cohaerent cum hac scenica significatione antefixa domuum, quae simulacra etiam personarum nomine designantur. Nescio tamen annon recte dictae sint [1]) hae imagines non tantum hominum sed etiam animalium capita vultusque ferre.

Usus grammaticus ex eadem origine scenica repetendus. Memorabilis est locus Luciani (Calumn. non tem. cred. VI), ubi τὴν ὑπόθεσιν τοῦ λόγου ita instruit: τριῶν δ' ὄντων προσώπων, καθάπερ ἐν ταῖς κωμῳδίαις, τοῦ διαβάλλοντος καὶ τοῦ διαβαλλομένου καὶ τοῦ πρὸς ὃν ἡ διαβολὴ γίγνεται, deinde (παράγει) τὸν πρωταγωνιστὴν τοῦ δράματος, τὸν ποιητὴν τῆς διαβολῆς. Iam Aristarchus προσώπου termino usus est eiusque discipulus Dionysius Thrax distinxit τὰ πρόσωπα: πρῶτον μὲν, ἀφ' οὗ ὁ λόγος, δεύτερον δὲ, πρὸς ὃν ὁ λόγος, τρίτον δὲ, περὶ οὗ ὁ λόγος, quem secutus Terentius Varro personarum naturam triplicem appellat, qui loqueretur, ad quem, de quo.

Quomodo autem figurate voce sint usi nos docet Publii sententia apud Gellium XVII 14: Heredis fletus sub persona risus est, siquidem hanc γνώμην pro proverbio habere possumus.

---

1) Ita Forcellini in lexico. Laudantur Lucr. IV 295 cretea persona, Plin. XXXV 43 personas tegularum extremis imbricibus impos(itas), Ulp. Dig. XIX 1. 17 personas e quarum rostris aqua salire solet.

Facile est usum figuratum in Latino prosequi sermone. Iam in Terentii Eunuchi prologo occurrunt parasiti et militis gloriosi personae, τύπον quondam repraesentantes. Personam alicuius agere idem est quod partes alicuius agere; Cicero πλεοναστικῶς coniungit Harusp. resp. 28: hanc orationem .... non suscepissem nisi hanc personam et has partes deberem et possem sustinere. Operae pretium est afferre ex oratione pro L. Murena 3: ego autem has partes lenitatis et misericordiae quas me natura [1]) ipsa docuit semper egi libenter; illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed ab republica mihi impositam sustinui sicut huius imperii dignitas in summo periculo civium postulabat. Hinc legimus etiam gravem et severam, vehementem et acrem personam. Discrimen actorem inter et ipsum hominem elucet in verbis Livii III 36 ubi „ille", inquit, „finis Appio alienae personae ferendae fuit. Suo iam inde vivere ingenio coepit". Abstractum pro concreto ponitur ita, ut etiam de rebus persona dici possit, quo sensu Seneca ep. 24 contendit non hominibus tantum sed et rebus personam demendam esse et reddendam faciem suam.

Memoria ludorum evanescit et persona indicatur conditio, status, munus quod quisque gerit. Lubet hic laudare Melanchthonii Reformatoris verba contra Servetum in Locis Communibus (Trendelenburgius p. 13): Lusit homo fanaticus Servetus de vocabulo Personae et disputat olim Latinis significasse habitum aut officii distinctionem, ut dicimus. Roscium alias sustinere personam Ulissis, alias sustinere personam Achillis, seu alia est persona consulis, alia servi, ut Cicero inquit: magnum est in republica tueri personam principis. Et hanc

1) Confero de Offic. I 28 tum servare illud poëtas dicimus quod deceat cum id quod quaque persona dignum est et fit et dicitur.... Nobis autem personam imposuit ipsa natura, magna cum excellentia praestantiaque animantium reliquarum.

veterem significationem vocabuli sycophantice detorquet ad articulum de tribus personis divinitatis [1]).

Sed redeamus a theologorum disputationibus ad veteres Romanos. Iam vidimus partes et personam promiscue usurpatas esse neque miramur longiorem formulam „personam Hecubae gerere" in breviorem transiisse „gerere Hecubam". Persona Hecubae idem est quod Hecuba, sed etiam ubi nemini scena in mentem veniebat persona socii potuit dici socii instar. Hinc evenit ut persona paene omnem amiserit significationem et nudum genus hominum indicaverit. Tamen vox nondum nude posita; occurrit semper sive cum genetivo appositionis, sive cum attributis ut vili, turpi, libera, sive cum pronominibus possessivis, demonstrativis, sive cum numeralibus. In Gaii Institutionibus demum offendimus usum hodiernum; ibi enim personae distinguuntur a rebus, personae ipsae dividuntur in serviles et liberas.

Videamus nunc de Graeca voce, ubi paulo aliter res sese habet. A facie ad formam externam, imaginem, splendorem transitus facilis. Stoicorum est voce προσώπου, larvae, uti significatione morali; notissimum exemplum Epicteti Man. 11 Μέμνησο ὅτι ὑποκριτὴς εἶ δράματος οἷου ἂν θέλῃ ὁ διδάσκαλος· ἂν βραχὺ βραχέος, ἂν μακρὸν μακροῦ· ἂν πτωχὸν ὑποκρίνασθαί σε θέλῃ, ἵνα καὶ τοῦτον εὐφυῶς ὑποκρίνῃ, ἂν χωλόν, ἂν ἄρχοντα, ἂν ἰδιώτην. σὸν γὰρ τοῦτ' ἔστι, τὸ δοθὲν ὑποκρίνασθαι πρόσωπον καλῶς· ἐκλέξασθαι δ' αὐτὸ ἄλλου. Ita cuique suae in vita agendae partes assignatae sunt, et vita degenda est sibi concors.

---

1) In editione Locorum anni 1559. Berlin 1856 p. 6a. Curiosum relego ad opus Tollini: Ph. Melanchthon und M. Servet. Eine Quellen-Studie. Berlin 1876 ubi vide p. 186 sq. Conferatur etiam Thomae Aquinatis Summa Partis Iae Quaest. XXIX, ubi in art. III sub 2 Boëthius laudatur.

Πρόσωπον sensu nudae personae paene non occurrit apud Graecos auctores. Exceptis dubiis aliquot locis apud Polybium a. Chr. non legitur; p. Chr. primum in quinto seculo indubitate usurpatur in constitutionibus et legibus ubi Latinus usus tamquam exemplum fuit, ut Schlossmannus luculenter mihi videtur demonstrasse.

Mentio mihi tamen facienda est usus vocis προσώπου quem offendimus in Graeca versione Veteris Testamenti et in libris Novi Foederis. Hebraïca vox פָּנִים faciem denotans apud LXX vertitur πρόσωπον. Coniunctum cum genetivo legitur ἀνθρώπου, δικαίου, ἀγγέλου, θεοῦ; imo occurrunt πρόσωπον συναγωγῆς (Num. XX 6), υἱῶν Ἰσραήλ (Num. XXII 3), animalium, fluviorum, manus, pedum, ignis, metus, irae, belli, nominis, omnium rerum. Cum praepositionibus compositum פָּנִים omnem proprium sensum amisit, et ipsum praepositio factum est [1]). Hinc facile intelligimus quomodo patres et auctores ecclesiastici vocabulo προσώπου usi sint de rebus tum visibilibus tum invisibilibus, ut apud Origenem occurrunt πρόσωπον τῆς γραφῆς, τῆς ψυχῆς, apud Nestorium τῆς Φύσεως.

In libris N. F. exceptis Iohanneis scriptis saepissime πρόσωπον faciem, vultum indicat (v. c. Gal. I 22 ἀγνοούμενος τῷ προσώπῳ ταῖς ἐκκλησίαις); occurrunt etiam πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν, τοῦ συνεδρίου, πάσης τῆς γῆς, τῆς ὄψεως (Apoc. XII 14). Affero κατὰ πρόσωπον coram (com-os), in praesentia; τὸ κατὰ πρόσωπον quod oculis obversatur [2]).

Restat series locorum ubi leguntur πρόσωπον λαμβάνειν, προσωπολημψία, προσωπόλημπτος talia. Hisce locis externa species designatur, condicio splendida aut humilis; qui personam

1) I Chron. XXVIII 8 κατὰ πρόσωπον πάσης ἐκκλησίας κυρίου καὶ ἐν ὠσὶ θεοῦ ἡμῶν non facies sed oculi Hebraice leguntur.

2) Gal. II 11 et 14 κατὰ πρόσωπον et ἔμπροσθεν πάντων fortasse idem.

respicit, personae rationem habet, non iudicat secundum veritatem et aequitatem. Idem est quod Matth. XXII 16 *βλέπειν εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων* appellatur. Ita Deut. XVI 19 apud LXX legitur: *οὐκ ἐκκλινοῦσι κρίσιν, οὐδὲ ἐπιγνώσονται πρόσωπον, οὐδὲ λήψονται δῶρον.* In epistola Iudae vs. 16 *θαυμάζοντες πρόσωπα ὠφελείας χάριν* verbum *θαυμάζειν* quod etiam apud LXX Deut. X 17 al. occurrit idem significare videtur atque *λαμβάνειν.* In Vulgata semper legitur personarum acceptio.

Unicus est locus qui praebet difficultatem. Apostolus II Cor. I 11 *συνυπουργούντων* inquit *καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει, ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν.* Non arridet explicatio de toto pro parte, ita ut *προσώπων* pro *στομάτων* dictum sit (ex multorum ore in precibus); neque placet versio „varia ratione, causa". Minime placet persona nostro sensu dicta; quidni legimus *ἐκ πολλῶν προσώπου*?

TYPANNIKA.

Τυραννικά.

SCRIPSIT

R. VAN OPPENRAAY s. J.

Ille ego qui quondam gracili modulatus avena
Carmen te plaudente. At nunc horrentia ... me artis

criticae certamina, te iterum iudice, inire videbis. Quodsi haec laude tua minus digna fuerint quam illud, placeant tibi saltem grati animi sensus, qui me induxerunt, ut cum tantis viris tantulus ad te gratulaturus accedam.

Pauca praefari liceat de ea studiorum nostrorum parte, quae in emendandis antiquis codicibus versatur, ut appareat si minus ingeniose posse at certe recte velle a te, cautissimae audaciae viro, nos didicisse. Quamquam enim feliciter factum esse existimo, quod nimia corrigendi libido aliquantum deferbuit, vereor tamen, ne nonnulli editores in vitium contrarium prolapsi etiam inepta religiose servare, servata interpretari invita Minerva conentur. Quod cum fiat in libris ad usum scholarum qui dicuntur, plurimum scilicet valet ad persuadendum pueris, quibuslibet verbis Latinis et Graecis quidlibet subesse posse; quo quid magis perniciosum atque cum recta institutione minus conveniens? Satius fuerit locis corruptis vel obscuris notam apponere et fateri ista medicum vel interpretem opperiri. In editionibus doctis autem aliquid sane

audendum, media tamen via insistendum timiditatem inter et temeritatem. Memor erit adagii *sustine et abstine*, qui meminerit, nostra linguarum rerumque antiquarum cognitio quam manca sit, cribri in modum lacunosa nec minus oblitterata quam codex membraneus situ corrosus vel papyrus post multa saecula e tumulo eruta. Grave igitur periculum est, ne sana vulneremus dum ulcus exsecare festinamus. At vero ut in vita sic in scientiis qui semper sustinet abstinet semper, placida ille quiete frui forsitan possit, magnum quid praestare non poterit: loco manifeste corrupto audacter manus admovenda est. Manus admovenda, inquam, ut pars aegra sanetur, non ut amputetur. Ad uncos enim perpetuos damnare quae non intelligas, quid aliud est quam iugulare aegrum, quem sanare nequeas etcondemnare reum, qui lingua iudici ignota se defendat? — De ipsa autem curatione duo monenda occurrunt: alterum quod timidos exstimulet ad audaciam, alterum quod deterreat audaces, qui saepe secando ad temere secandum fieri solent proclives. Siquando facta medicina aut quaedam subsistit obscuritas, aut verborum ordo paulum turbatus, aut vocabulum insolens, id minime convincit medici manum errasse; immo vero rectae emendationis haec sunt vestigia. Quid enim? In locos dilucidos et verba quotidiana librariorum errores cadere non solent. E contrario nisi immoderatae licentiae viam patefacere velimus, haud facile recipiatur nova lectio, quae palaeographice non commendetur. Saepe quidem factum sit, ut interpretamentum e margine in textum irrepserit ideoque pro voce intrusa longe alia vox sit restituenda; raro tamen contingit, ut extrusae iura legitima probari possint. — Postremo cum difficile sit suos liberos alienis oculis intueri, sibi dictum critici putent quod poetas monuit Horatius et coniecturae omnes *„nonum premantur in annum"*.

Atque haec quidem utrum praefatus sim tamquam Cicero

pro domo an tanquam medicus, qui non curat se ipsum, ex iis quae sequuntur apparebit: non enim de tyrannicidio acturus sum, quod fere exspectes ab infestissimo Iesuita, sed de Sophoclis Rege Oedipode restituendo.

I. Oed. R. vv. 1084 et 1085:

τοιὸς δ' ἐκφὺς ὡς οὐκ ἂν ἐξέλθοιμ' ἔτι
ποτ' ἄλλος ὥστ' ἐμ' ἐκμαθεῖν τοὐμὸν γένος [1]).

Quem haec non tentarunt? Quis haec non tentavit? Recentiores re tandem desperata utrumque versum aut uncis includunt aut qualicunque modo explicant. De priori ista medendi ratione quid sentiam supra dictum est; contra interpretum autem conamina valet et valebit duplex Nauckii argumentum: „ἄλλος entzieht sich dem Verständniss und ποτέ erscheint seiner Stellung wegen als unmöglich." Inquiramus igitur possitne lenissima medicina adhibita restitui sententia, quam et res ipsa postulat et Scholiasta Laurentianus legisse videtur.

Postquam vv. 1076 ss. dixit Oedipus: τοὐμὸν δ' ἐγώ .... σπέρμ' ἰδεῖν βουλήσομαι, per sex versus continuos pergit dicere: „quamquam Iocaste, mulier superba, δυσγένειαν τὴν ἐμὴν αἰσχύνεται, equidem bonae Fortunae filium me ipsum reputans generis dedecus non timeo." Nec sine causa: in hoc enim proposito exsequendo tota deinceps tragoedia consumitur. Quid ergo magis consentaneum et huic loco et Oedipodis ingenio quam ut graviter iterum asseveret: καὶ τοιοῦτος πεφυκώς οὐκ ὀκνήσω τὸ γένος ἐξερευνῆσαι τὸ ἡμέτερον (Schol. Laur.)? Atqui si in vs. 1085 una litterula mutetur, haec ipsa sententia orietur et simul mendum metricum tolletur. Pro ποτ' ἄλλος scribatur πόδ' ἄλλοσ': *iam non alio digrediar, non alio me vertam, ut tandem genus meum cognoscam.*

---

1) Sic Laur. manus prima, non ὥστε μ': vocis ἐμ' spiritus in codice est residuus.

De accusativo quidem instrumenti post verbum ἐξελθεῖν et similia copiose disputat Lobeck ad Aiacis vs. 40, ubi hunc loquendi modum „in omni genere ac ratione dicendi pervulgatissimum" dicere non dubitat. Sufficiat afferre Eur. Herc. 802 ἐκβὰς ἁρμάτων πόδα et Dinarch. Contra Dem. n. 82 ἐξελθεῖν οὐδὲ τὸν ἕτερον πόδα. Cum locutione tropica autem comparari potest Eur. Iph. T. 781 ἐξέβην γὰρ ἄλλοσε (*aliena loquor*) et Oed. Col. 981 σοῦ γ' εἰς τόδ' ἐξελθόντος ἀνόσιον στόμα.

In vs. 1084 malim cum codice Parisino scribere τοιόσδε δ' ἐκφύς quam cum nonnullis viris doctis τοῖος πεφυκώς. Illud ὡς, quod in Laur. legitur, non ex πεφυκώς ortum videtur sed ex errore librarii aberrantis ad ὥστε in medio versu sequenti; quod autem scholiasta utitur forma πεφυκώς, ut minimum dicam, id nihil probat: interpretatur verba, non iterat. Et numeris tamen et sententiae consulitur, si suppleamus — quandoquidem aliquid supplendum est — non ΔΕ sed ΑΡ et restituamus: τοιόσδ' ἄρ' ἐκφύς.

Si quis denique in vs. 1085 cum correctore Laurentiano legere malit ὥστε μὴ 'κμαθεῖν, per me quidem licet. Puto tamen nil opus esse: sive cum οὐκ ἄλλοσε coniungitur ὥστε με, sive cum sola voce ἄλλοσε coniungitur ὥστε μή, verborum vis erit eadem.

Legatur ergo:

τοιόσδ' ἄρ' ἐκφὺς οὐκ ἂν ἐξέλθοιμ' ἔτι
πόδ' ἄλλοσ', ὥστε μ' ἐκμαθεῖν τοὐμὸν γένος.

II. Oed. R. vv. 1528 ss.

ὥστε θνητὸν ὄντα κείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν
ἡμέραν ἐπισκοποῦντα μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν
τέρμα τοῦ βίου περάσῃ μηδὲν ἀλγεινὸν παθών.

Sintne hi versus (cum Alexandrinis ??) delendi necne, hic non quaero: sive a Sophocle sive a falsario scripti sunt, sen-

sum sanum habere debent. Ut autem nunc leguntur in codicibus nihil inde extundi potest. Quis enim credat verba ἐπισκοποῦντα ἰδεῖν iungenda esse et significare „*expectantem ut videas*"? Cum praesertim in Graeco desit subiectum quod Latino verbo *videas* furtim intruditur. Blaydes et Nauck nodum discidunt scribendo χρεών pro ἰδεῖν. Istud est quod cavendum monebam: quid enim non licebit, si talia licent ob eam solam rationem quod hic ex multis modis unus est, quo satis apta sententia sub his versibus subiici potest? At „statt dessen (ἰδεῖν) ist ein Wort wie χρεών oder θέμις durch den Sinn gefordert" (Nauck). Immo vero idem assequemur, si pro ἰδεῖν legatur ἡμᾶς vel τὸν σοφόν vel simile quid. Dicamus ergo librarium errore, qui venia vere sit dignissimus, scripsisse

τὴν τελευταίαΝΙΔΕΙ⟨ν⟩

pro τὴν τελευταίᾱΜΑΕΙ i. e. τὴν τελευταίαν μ' ἀεί.

Sententia erit: *quare equidem, semper* (ὥστε μ' ἀεί) *prospiciens diem illum fatalem, neminem beatum praedico ante mortem.*

III. Oed. R. vv. 1—18.

His de media et extrema fabula praemissis ad exordium descendo.

Atque vv. 16—18 quidem rectissime explicarunt Fraenkel et Groeneboom Jr.; nescio an nemo ante eos [1]). Cum autem videam huius interpretationis rationem non haberi in editionibus posterioribus, liceat mihi eam pro viribus tueri atque confirmare.

In codicibus legitur:

οἳ μὲν οὐδέπω μακρὰν

1) Oedipus Rex, bewerkt door Dr. J. M. Fraenkel en Dr. P. Groeneboom Jr. Groningen, Wolters, 1900.

πτέσθαι σθένοντες [1]), οἳ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς
ἱερεῖς, ἐγὼ μὲν Ζηνός, οἳ δέ τ' ἠϊθέων
λεκτοί ....

Hic enumerantur *pueri*, *sacerdotes senes*, *iuvenculi*. Atqui ob sexcentas rationes id ferendum non est. Argumenta praecipua breviter attingam.

1. Pueri, senes, iuvenculi: si aetates omnes missae, ubi *viri*?
2. Quis est ordo iste, ut primo loco nominentur pueri, deinde senes, postremo iuvenculi, qui a pueris aetate vix (summum) discrepant?
3. Qui fit, ut omnes senes sint sacerdotes, omnes sacerdotes sint senes? Dixeris apud Boeotos valuisse Gallicum illud: „Quand le diable devient vieux, il se fait ermite"!
4. Si plures adsunt sacerdotes senes, cur statim sine ulla dubitatione Oedipus unum alloquitur, quod sit πρέπων πρὸ τῶνδε φωνεῖν (vv. 9 s.)?
5. Num credendum est regem quamvis paternum sed aetatis fere mediae sacerdotes provectae aetatis semel et iterum et tertio et quarto compellare vocibus τέκνα (vv. 1, 6) et παῖδες (vv. 58, 152)? Sacerdotem item suos collegas ὦ παῖδες, ἱστώμεθα (vs. 147)?
6. Recte denique Fraenkel et Groeneboom provocant ad vs. 31, ubi supplices omnes comprehenduntur his verbis: οὐκ .... ἐγὼ οὐδ' οἵδε παῖδες.

Omnino ergo iis assentiendum est: „adest unus tantum sacerdos cum liberis supplicantibus" [2]) et locus totus ita intelligendus, ut vs. 17 sacerdos de se solo loquens utatur numero plurali, versus autem 18 sit mera explicatio versus praecedentis.

---

1) Laur. στένοντες. 2) Ibid. Appendix Critica pag. 142.

Atque id quidem intelligens iam Demetrius Triclinius in scholio ad vs. 18 reprehendit eos, qui plures sacerdotes esse putabant: *τὸ δὲ οὐ τοιοῦτον ..... τὸ μὲν „οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς ἱερεῖς" ἀντὶ τοῦ „ἐγὼ μὲν ὑπάρχων γέρων ἱερεὺς τοῦ Διός"*. Qui tamen vicissim iure merito reprehenditur a Brumoy: *„cela est insoutenable"*; vindicari enim haec sententia non potest, nisi pro *ἱερεῖς* scribatur *ἱερεύς* nomenque hoc cum *ἐγὼ μέν* coniungatur. Legendum itaque:

οἳ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς· [1])
ἱερεὺς ἐγὼ μὲν Ζηνός, οἵδε τ' ἠθέων
λεκτοί .....

Poetam numero plurali uti, quo elegantius *οἳ μέν* et *οἵδε τε* inter se opponantur, non est quod miremur; particulae autem *μέν* et *τε* hic non tantum recte sed rectissime conjunguntur: particula *δέ* locum habuisset, si tale quid scriptum esset: *ἐγὼ μὲν Ζηνός, οἵδε δ' ἄλλων θεῶν* — ut alii aliter conjecerunt.

Quae si ita sunt, voces *τέκνα* et *παῖδες* et *νέα τροφή* non per translationem sed proprie sunt dicta. Facilius praeterea vs. 8 *ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος* a quorumdam impugnationibus et Voltairianis contumeliis defenditur. Quamquam enim nominandi regis occasio hoc loco magis est arcessita quam Oed. Col. 3, aliquanto tamen rectius ad pueros quam ad sacerdotes senes dicere potuit: „En Oedipus ipse, de quo tanta et talia a parentibus audivistis, ad puerile vestrum supplicium descendo", quo magis paternum erga eos prodat affectum.

Caeterum ad eos, qui vs. 8 propter nimiam quamdam simplicitatem damnant, alios delaturus sum, qui in eadem causa sint. Potuerit quaerere Oedipus, quid petant supplices (vv. 1—3): est enim parum communis ista sessio et verisimile

1) Post *βαρεῖς* ego interpunxi.

erat aliam subesse causam quam luem jamdudum grassantem. Quid vero, quid quaeso significant vv. 3 et 4? Numquid ignorat rex, cur πόλις θυμιαμάτων καὶ στεναγμάτων γέμει? Nonne haec, hercle, sunt γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτα (v. 58)? — Ast „il faut juger les écrits d'après leur date": his antiqui prologi reliquiis non offenditur, qui noverit quam arduum sit a formis semel receptis viriliter discedere et quam pueriliter etiam post Sophoclis praeclara exempla Euripides nonnumquam suas fabulas sit exorsus. Nolim itaque tentare hos versus, qui leviter submutati post vs. 21 melius convenirent.

Multa alia in hoc prooemio disputanda supersunt; sed

Claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

Interim quae de vs. 11 δείσαντες ἢ στέρξαντες audacius dicturus eram, nonum premantur in annum, donec Deo favente Nestor noster quartam aetatem viderit exortam eique nonagenario crudam viridemque senectutem iterum gratulemur.

AD PLAT. CIV. L. III, P. 392 C—P. 398 B.

Ad Plat. Civ. L. III, p. 392 C—p. 398 B.

SCRIPSIT

J. G. VAN PESCH.

Investigare hoc loco Plato aggreditur, quodnam genus orationis poeticae aptissimum sit, quo in argumentis exponendis utantur poetae, ii nimirum, qui ad civitatem illam iustitiae plenam admittendi videantur. In qua investigatione multa mihi inesse videntur, quae legentibus satisfacere nequeunt. Neque enim summa argumentationis satis probabilis videtur (minus enim ad rem pertinet meo iudicio et a proposito aberrat) et omnino disputandi atque argumentandi rationem obscuriorem esse atque perplexiorem, in qua aegre desideres eam perspicuitatem, quam in Platonis disputationibus legendis atque considerandis admirari solemus. Quibus autem rebus id mihi factum esse videatur, breviter indicabo.

Initium faciamus a loco, qui mira quadam ratiocinandi inconstantia laborat. Socrates enim variis artis poeticae generibus comparatis tres narrandi rationes distinguit: aut ipse loquitur poeta et simplici narratione utitur; aut omnia per imitationem effingit; aut narrationi simplici imitationem interdum miscet. Deinde demonstrat custodes a quavis imitatione esse retinendos. Imitandi enim ars varia est atque multiplex et ea,

in quam omni cogitatione et cura incumbamus; itaque minime utilis est custodibus, qui suum sibi munus habeant assignatum; nam totos se patriae custodiendae atque servandae dediderunt. *Εἰ ἄρα τὸν πρῶτον λόγον δικσώσομεν τοὺς φύλακας ἡμῖν τῶν ἄλλων πασῶν δημιουργιῶν ἀφειμένους δεῖν εἶναι δημιουργοὺς ἐλευθερίας τῆς πόλεως πάνυ ἀκριβεῖς καὶ μηδὲν ἄλλο ἐπιτηδεύειν, ὅτι μὴ εἰς τοῦτο φέρει, οὐδὲν δὴ δέοι ἂν αὐτοὺς ἄλλο πράττειν οὐδὲ μιμεῖσθαι* (p. 395 B, C). Quibus verbis haec uno tenore subiciuntur: *ἐὰν δὲ μιμῶνται, μιμεῖσθαι τὰ τούτοις προσήκοντα κ.τ.ἑ.* Postquam igitur graviter et copiose demonstratum est cuiusque imitationis generis custodes expertes esse debere, subito disputatio convertitur nullo novo argumento allato; imitatio enim non iam iis denegatur. Imitentur, dummodo honestos tantum atque graves mores ad imitandum sibi proponant. Nonne hic praeter omnium expectationem res cadit? Nonne manifeste secum dissentit philosophus? In reliqua autem argumentationis parte hanc discrepantiam tollere ne conatur quidem.

Mea vero opinione haec est causa, cur ratiocinatio sibi non constet, quod scriptor aliam alia disputationis parte verbo *μιμεῖσθαι* subicit vim. In iis enim, quae verbis *ἐὰν δὲ μιμῶνται* (p. 395 C) antecedunt, ubique imitandi verbum adhibetur sensu quodam proprio ex litteris petito; artis est vocabulum, dicitur de mores hominum exprimendi et effingendi artificio, poetarum nec non histrionum proprio. At inde a verbis supra laudatis *ἐὰν δὲ μιμῶνται* illud imitandi verbum longe diversum habet sensum. *Sequendi* enim iam vis inest; eam spectat imitationem, cuius plurimi homines sunt studiosi. Nam nemo fere est, quin in vita instituenda exempla sibi petat ab aliis, alium quendam ante oculos habeat, quem sequatur, vel potius sequi conetur. Minime igitur hic vox *μιμεῖσθαι* separatam eam habet vim, quam in priore disputationis parte ei subiectam vidimus; ad communis vitae usum quendam spectat. — Magnam autem

utilitatem afferre solere hanc imitandi consuetudinem in hominibus educandis, modo ne malos imitentur, Plato sibi habet persuasum. Itaque cum modo omnem imitationem custodibus suis non idoneam iudicaverit, quippe quibus id unice agendum sit, ut patriam custodiant defendantque, rursus retinere vult imitationem, quia multum valet ad custodes educandos. Quo modo vero hanc cum illa sententia reconciliet, non habet: loco supra indicato (p. 395 C) inter se colliduntur. Cuius rei haec esse causa mihi videtur, quod duae illae 'effingendi' et 'sequendi' notiones, longe inter se diversae, uno atque eodem verbo μιμεῖσθαι redditae sunt.

Vide autem, ne eidem causae sit attribuendum, quod totius disputationis argumentum et summa minus placet. Velut in iis, quae sequuntur, legimus poetis simplici plerumque narratione esse utendum et tum demum imitandi eos habere libertatem, cum honestos mores exprimere velint, propterea quod honestorum tantum hominum instituta custodes sequi oportet. Quae cum legimus, non possumus, quin nobiscum reputemus, num — ut unum hoc afferam — tam verisimile sit fore, ut mali hominis imago in carmine quodam expressa eos, qui legunt vel audiunt, ad malos illos mores sequendos adducat. Iam sic cogitamus *totam* Platonis de variis orationis poeticae generibus disputationem hoc vitio laborare, quod nimis arte inter se connectuntur ea imitatio, in qua effingendi artificium consistit, et altera illa vulgaris, quae omnium est hominum et ad cotidianae vitae pertinet consuetudinem; re vera has duas res longius alteram ab altera distare neque tam multa inter se habere communia. Ego quidem nullus dubito, quin ita res se habeat. Quem errorem magnam partem hac re creatum esse, quod alias alio sensu illud imitandi vocabulum est adhibitum, veri est simile.

De argumento disputationis haec habeo, quae afferam; ad ipsam argumentandi rationem considerandam redeamus. Alia autem causa, cur minus perspicue atque dilucide procedat argumentatio, haec mihi esse videtur. Tale enim est disputationis exordium, ut necesse sit putemus tribus illis poeseos generibus distinctis rem tantum non esse confectam; nam nihil reliquum esse, nisi ut ex hisce generibus unum civitati aptissimum eligatur. Sed multo infra alteram legimus distinctionem, hanc quoque trium generum, quorum primum extat, cum honestos tantum mores imitatione exprimit poeta, alia omnia simpliciter enarrat, secundum, cum nihil non poeta imitatur; tertium ex utraque mixtum est. — Cum prior illa divisio lucida sit et perspicua, altera haec discernendi ratio satis perplexa videtur et confusa. Ex. gr. haud facile invenias, quidnam tertium illud genus mixtum sibi velit. Nimirum in priore distinctione ante oculos habet litterarum specimina non ficta, sed vera et quae in monumentis litterarum suum locum habent; quibus inter se comparandis ad trium illorum generum divisionem pervenit. Denuo autem cum distinguere instituit, multo minus firmo fundamento disputatio nititur. Hoc unum in mente habet philosophus custodibus bonos tantum homines imitari licere. Ex eo quasi capite investigatio ducitur. Facile igitur intelligimus tria orationis genera, quae talem in modum commentus est, notam originis prae se ferre. Ficta enim sunt, insolitam atque mirabilem praebent speciem. Velut frustra in litterarum monumentis id genus quaeras, quod in altera distinctione primum locum obtinet; nam nusquam est gentium. Itaque nihil est, quod miremur hanc distinguendi rationem ab antiquis nonnumquam minus bene esse intellectam, genera ficta alterius divisionis cum prioris generibus eos permiscuisse. Quae res effecit, ut perperam interpretarentur Platonem plurimos poetas ex civitate sua abire iubentem (p. 398 A) imprimis

Homerum spectasse [1]) (vid. Stallbaumii ad verba *μύρον ..... στέψαντες* adnotatio).

De textu loci nostri hoc unum habeo, quod afferre velim. P. 397 A enim haec est lectio vulgata: *Οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, ὁ μὴ τοιοῦτος αὖ, ὅσῳ ἂν φαυλότερος ᾖ, πάντα τε μᾶλλον διηγήσεται καὶ οὐδὲν ἑαυτοῦ ἀνάξιον οἰήσεται εἶναι, ὥστε πάντα ἐπιχειρήσει μιμεῖσθαι κ.τ.ἑ.* Unus tantum codex, q, pro voce *διηγήσεται* habet *μιμήσεται*, quam lectionem Schmelzer et van den Hoek secuti sunt; Madvigium autem adduxit, ut coniceret *μιμήσεται ἢ διηγήσεται*. Hanc Madvigii coniecturam Campbell in textum recepit. Nihil vero mutandum esse persuasum habeo. Nam sive Madvigium, sive codicis q lectionem sequimur, post verba *πάντα τε μᾶλλον μιμήσεται* paucis intermissis *ὥστε πάντα ἐπιχειρήσει μιμεῖσθαι* habemus. Qui modus dicendi mihi quidem pulcher non videtur. Vocem *ὥστε* cum legimus, novi quid expectamus; ea est huius vocabuli vis, ut consecutionem quandam vel conclusionem indicet. Sed hic plane eandem rem iteratam legimus. Lectio vero vulgata nihil habet, quo offendat, dum vocem *διηγήσεται* recte interpretemur. Modo enim vocabulis *διηγεῖσθαι* et *διήγησις* Plato angustiorem tribuit significationem, ut simpliciter enarrandi rationem indicent; modo aliquanto latior in iis inest vis: saepe enim adhibentur, cum non certam quandam narrandi rationem spectat philosophus, sed de quovis argumento quavis ratione exponendo sermo est [2]). Platonem autem in artis vocabulis utendis non satis diligenter versari et saepius apud eum vocabula nondum ad

---

1) Licet p. 396 E legerint: *Οὐκοῦν διηγήσει χρήσεται οἵᾳ ἡμεῖς ὀλίγον πρότερον διήλθομεν περὶ τὰ τοῦ Ὁμήρου ἔπη.* — Multa autem ad hunc errorem creandum attulisse eam quoque disputationem, quae de eadem quaestione libro decimo extat, manifestum est.

2) Vid. p. 392 D, p. 393 B, p. 394 D, p. 396 C, imprimis autem p. 396 B—C et p. 396 E.

certam quandam et angustam enuntiandi normam plane redisse, res est nota. Nihil ergo obstat, quominus loco nostro latiorem illam significationem vocabulo διηγήσεται tribuamus. Quod cum facimus, omnia recte se habent. Premendae sunt voces πάντα (vid. Campbellii ad hunc locum adnotatio) et οὐδέν.

ATAKTA.

Ἄτακτα.

SCRIPSIT

H. J. POLAK.

Circumspicienti mihi, clarissime Nabere, quidnam Tibi octogesimum diem natalem brevi celebraturo in eius diei solemnitate munusculi et ipse offerrem, hoc statim apud me constitit, eligendum esse aliquid, quamvis sit leve, ex eo studiorum genere quod Tu non quidem unice amplecteris, — multum abest, — sed in quo tamen per sexaginta fere annos prae ceteris disciplinae nostrae provinciis ita versatus es, ut facile appareat quantum ei in toto litterarum colendarum ambitu tribuere soleas. Criticam dico quam coniecturalem vocant, in cuius principibus diu est quod non nostratium tantum iudicio numeraris. Calamitosam vere artem, quam increpant et rodunt omnes, semper eo redactam ut — quod Ruhnkenius dicebat, — contra obtrectatores innocentiam tueri suam cogatur. Post Ruhnkenium Valckenaeriumque Cobetum audivimus defensorem, audivimus alios; quid profuit? Multum abest ut vel hi causam obtinuerint. Quin immo hac tempestate ars illa adeo sordet, ut vix quisquam se criticum profiteri audeat. Nolo commemorare viros quosdam doctos ex nostris vicinis, iuniores opinor plerosque et fervidioris ingenii, qui librum in nostra arte versantem ita demum se laudasse autumant, ubi

scriptorem eius criticam „servatricem" — sic enim appellant — sectatum esse alta voce exclamaverunt. Sed magis me advertit docti cuiusdam Britanni iam defuncti invectiva, in quam casu incidi. Virum volo egregie doctum B. Jowett, qui cum Levisio Campbell socio ante decennium et quod excurrit (1894) splendidam *Reipublicae* Platonicae editionem tribus voluminibus comprehensam in lucem emisit. Alteri volumini insertae sunt variae Jowetti disputationes; prima in fronte gerit titulum: *de scriptorum Graecorum, inprimis Platonis, textu.* Facile est intellegere quorsum tendat. Debacchatur in coniectores, pessimum doctorum genus idemque vanissimum. Mentes eorum penitus insedit emendandi pruritus vel potius κακόηθες. Laborant morbo vix sanabili, „coniectandi lue", neque suspicantur se vitam consumsisse in futilissimo studiorum genere, unde neque sibi neque litteris ullus fructus redundarit [1]). Opponit Bentleii quamvis sagacissimi divinoque ingenio praediti viri hariolationibus industriam Immanuelis Bekkeri, in melioribus codicibus investigandis publicandisque occupatam [2]). Neglexit aut nescivit quot huius ipsius Bekkeri verissimae in uno Cassio Dione factae coniecturae posterioris editoris assensum tulerint. Sed operae pretium est Jowetti conclusionem audire. Post omnia convicia in criticorum etiam summorum levitatem congesta quid censet? Abigendamne esse artem bonis litteris pestiferam? Nihil minus. „Multum abest", inquit, „ut equidem scriptorum veterum Graecorum codices emendatos

1) Ne calumniari videar, ponam hic quaedam viri docti αὐτολεξεὶ descripta. „An art or kind of knowledge which is attractive and at the same time wanting in certain tests of truth is always liable to fall into the hands of projectors and inventors. It may be cultivated by many generations of scholars, without their once making the discovery that they have been wasting their lives in a frivolous and unmeaning pursuit. From being subordinate and necessary it may come to be thought the crowning accomplishment of the scholar."

2) „The judgment and industry of Bekker have probably done more for the text of Greek writers than was effected by the vast powers of Bentley."

labeque carentes habeam vel criticam artem omnino ab iis arcendam esse existimem". Modo corrupta sanet, a sanis abstineat [1]). Quid ergo? Usum admittit, abusum abominatur. Quod quis mortalium est qui ei non ex animo adsentiatur?

Ipse quid super hac re censeam uno fere verbo concludi potest. Qui vastissime patentem litterarum campum sola divinandi facultate circumscribit, luxuriatur ingenio; qui vilipendit eam ac neglegit fatuus est. Fallimur saepe, fateor; sed nullam equidem novi artem quae nihil nisi certa et duratura pepererit. Ἀλλὰ τιή μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός? Idem nos nunc quidem sentire opinor. Itaque δόσιν meam non eo certe nomine repudiabis quod ex coniecturali genere est. Cuinam scriptori adhibeatur Tu parum referre existimabis per omnes Graecos libero pede vagari iamdudum solitus. Sumatur itaque in manus Euripides, in cuius crisi profecto minime hospes es.

I. — Praeter nova fragmenta quae ex Aegypti solo inexhausto nuper prodierunt editor Wilamowitzius [2]), vir incomparabilis, etiam quaedam iam diu cognita retractavit, in quibus quantum scio *Antiopes* reliquiae, a viro meritissimo Flinders Petrie olim erutae, ab J. P. Mahaffy a. 1891 publici iuris factae in diario Britannico *Hermathena* N⁰ XVII, non comparent. Quod vel eo nomine dolendum, quia horreum in quo

---

1) „Though I deeply lament that the lives of so many ingenious men should be thrown away in such a fruitless task, and though I think that the supposed corruptions of the text have been greatly exaggerated through this very cacoethes or lues emendandi, yet I am far from maintaining that the Greek classics are in general free from corruption, or that there can never be any place for conjectural criticism."

2) *Berliner Klassikertexte* Vol. V, 2 (1907) etiam s. t. *Griechische Dichterfragmente, zweite Hälfte. Lyrische und dramatische Fragmente*, bearb. v. W. Schubart u. U. v. Wilamowitz-Moellendorff.

fere dixerim sepulta iacent illa fragmina, in nostris oris rarum est admodum. Cognovi tantum restituendorum lacerorum membrorum conamina olim ab eruditis Britannis vario eventu inita, in quibus sunt quae non prorsus mihi probentur. Sed de his alias; nunc artis commentandi finibus inclusus duos modo locos breviores attingam. In laciniis papyraceis neque poetae nomen neque fabulae perscriptum legitur. Sed esse Euripidis, esse *Antiopes* has reliquias ad tragoediae exitum pertinentes nemo sanus dubitavit unquam. Vel unum elocutionis genus Euripidem auctorem arguit. Felici praeterea casu evenit, — quod statim post repertum fragmentum Saycii v. cl. insigne patefecit acumen, — ut duo cantici finalis versus, qui in papyro quoque partim dignoscuntur, apud Stobaeum (*Ecl.* I, 3 § 25) addito in lemmate fabulae nomine afferrentur ita scripti

δίκα τοι δίκα χρόνιος· ἀλλ' ὅμως ὑποπεσοῦσ'
ἔλαθεν, ὅταν ἔχῃ τιν' ἀσεβῆ βροτῶν.

Papyrus (Col. C a laeva, vss. 13, 14) teste editore haec exhibet:

δικ[ ].. χρονιοσ αλλ ομωσ επεσεν
ελαβεν οταν [ ]ν ασεβη βροτων.

Observat editor: „The word ЄΠЄСЄΝ is indeed very faint, and I may not have read it correctly, but I can suggest nothing else. Τποπεσουσ (quod Stobaei textus praebet) is certainly not there. Mr. Bury suggested СΠΑΘΑΝ (*σπαθᾶν*?), *which makes good sense.* But I cannot find it in the vestiges on the papyrus". Hoc vero est emendare! Neque alii, ut videtur, persuasit. Certe popularis eius Rutherford, aliam viam ingressus: „I would expect" inquit „to see *ἔσπευσεν* in place of *ἔπεσεν*". Hoc sensum saltem efficit; sed quo metri genere poeta sic usus fuerit me quidem latet. Si quid iudico tantis moliminibus opus non erit. Stobaei et papyri textus ita amice inter se

conspirant ut alter alteri auxilio sit. Ἔλαθεν Stobaeanum praestat lectioni papyri ἔλαβεν, — adeo vetus est harum vocum frequens confusio, ut iam Ptolemaeorum temporibus, quibus papyrus adscribitur, conspiciatur! — nam si in versus secundi lacuna etiam ἔχῃ haustum sumimus, quod spatium ab editore indicatum suadet, bis idem diceretur ac requireretur ἴδῃ, quod postulavit Lewis Campbell, ignarus in Stobaeo idem iam proposuisse Meinekium. Neutri adsentior, neque Stobaeanum ὑποπεσοῦσ' adeo corruptum existimo atque doctis Britannis visum est. Praepositio tantum labem concepit. Ὑποπίπτειν non est huius loci (cfr. v. c. Aristoph. *Eqq.* 47), sed in papyri litteris evanidis non ἔπεσεν latere putem sed ἐπιπεσὼν (ЄΠЄCωN), hoc quidem item corrupte, sed — ut dicebam — Stobaeo in auxilium advocato, ita ut ex eo calx sanetur, e papyro caput, emicat ἐπιπεσοῦσ', quo non est aliud vocabulum in hac sententia aptius. Proponit enim Chorus, perspecto Dirces Lycique supplicio, γνώμην apud veteres tam Romanos quam Graecos celebratissimam de sera numinis vindicta. Dis poenas dederunt improbi, exclamat, sed ut Justitia solet. Etenim — ut apud Valerium Maximum est (I, 1 *Ext.* 3 i. f.) — „lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate pensat". Nihil opus est me post alios sententiae pervulgatissimae singula exempla perscribere; haec duo notasse sufficiet. Enuntiati in proverbii formam inclusi antiquior recensio, — posterior (*Carmm. Sibyll.* VIII, 14) semibarbara est — legitur Provv. Coislin. 396: ὀψὲ θεῶν ἀλέουσι μύλοι, ἀλέουσι δὲ λεπτά, et ipsa tamen satis recens, quod sequiorum μύλοι abunde ostendit; hoc quoque cum multis aliis exemplis ostendens *proverbia vere popularia apud veteres Graecos longe rariora fuisse videri* quam v. c. apud nostros homines sunt. Sed hoc obiter. Magis ad rem illud est, Euripidem eandem fere sententiam, quae nostro cantico inest, etiam expressisse in *Archelai* frag-

mento, quod in Nauckii collectione est nr. 257 (Nauck FTG² nr. 255):

Δοκεῖς τὰ τῶν θεῶν ξυνετὰ νικήσειν ποτέ
καὶ τὴν δίκην που μάκρ' ἀπῳκίσθαι βροτῶν·
ἡ δ' ἐγγύς ἐστιν, οὐχ ὁρωμένη δ' ὁρᾷ
ὃν χρὴ κολάζειν τ' οἶδεν· ἀλλ' οὐκ οἶσθα σύ
ὁπόταν (ἕως Weckl.) ἄφνω μολοῦσα διολέσῃ κακούς[1]).

His itaque ducibus si fragmentum nostrum ita conformamus:

Δίκα τοι Δίκα χρόνιος· ἀλλ' ὅμως ἐπιπεσοῦσ'
ἔλαθεν ὅταν ἔχῃ τιν' ἀσεβῆ βροτῶν,

sententiae satisfactum erit, metro non item. Agnosco enim dochmiorum indubitata vestigia. Quod si est, priori versui desunt in fine ad iustum metrum explendum duae syllabae. Has si ex consimili Archelai fragmento ita desumimus ut suppleatur

Δίκα τοι Δίκα χρόνιος· ἄλλ' ὅμως ἐπιπεσοῦσ' ⟨ἄφνω⟩
ἔλαθεν, ὅταν ἔχῃ τιν' ἀσεβῆ βροτῶν,

versiculos nacti erimus quibus nec a sententia nec a metro quidquam desit[2]). Quae si recte disputata sunt observatu dignum est, horum versuum priorem iam Alexandrina aetate labem in exitu concepisse.

Antiope Col. C (a dextra) Mercurii monita ad Lycum a fratrum ulciscentium violentia a se servatum sic incipiunt:

οταν δε θαπτηισ αλοχον εισ πυραν βαλων
σαρκων αθροισασ τησ ταλαιπωρου Φυσιν κτλ.

„For the unintelligible *φύσιν* I would propose *τὴν ταλαίπωρον Φοράν*". Verba sunt viri docti R. Garnett in eodem quod supra

---

1) Sic evidenter correxit Hugo Grotius. Stobaei codices *ἀμφωμολοῦσα* dicuntur habere.

2) Ex Nauckii FTG² sero vidi F. G. Schmidtium iam ante papyri lectiones cognitas proposuisse quod sensus postulat: *ἐπιπεσοῦσ'*, Usenerum quod metrum: *ὑποπεσοῦσ<α σῖγ'>*.

indicabam diario. Fortasse praestabit *σαρκῶν ἀθροίσας τῆς ταλαιπώρου χύσιν*, quod Homerico *χύντο χαμαὶ χολάδες* satis defensum puto. Apertum est Dircen significari a tauro minutatim discerptam. Eadem *ὀλκοῖς γε ταυρείοισιν διαφερουμένη* (ita editor) paullo ante dicitur. Praetulerim: *ὀλκοῖς γε ταυρείοισι διαφορουμένη*.

II. Ne fabulas Euripidis integras servatas *ἀσύμβολος* praetermittam, adiungam his pauculas ad Phoenissas observationes.

Phoen. 649 seqq.

Βρόμιον ἔνθα τέκετο μάτηρ | - - - κισσὸς ὃν περιστεφὴς
ἑλικὸς [1]) εὐθὺς ἔτι βρέφος | χλοηφόροισιν ἔρνεσιν
κατασκίοισιν ὀλβίσας ἐνώτισεν,
Βάκχιον χόρευμα παρθένοισι Θηβαίαισι
καὶ γυναιξὶν εὐΐοις.

Locus notissimus, Tibi inprimis notus, qui de eo ante viginti quinque annos in Mnemosyne (N. S. X, p. 146 seqq.) commentatus es, cum Valckenaerii vestigiis insistens pro *ἐνώτισεν*, etsi Hesychii (i. e. nunc Didymi) auctoritate fulto, reponendum arbitrabare *ἐλώπισεν*. Equidem hac de controversia, — Weckleinium video *ἐπώπασεν* infeliciter suadentem, — nihil nunc definiam; cum sequentibus mihi res est. Nempe Βάκχιον *χόρευμα*, ad *κισσὸς* haud dubie pertinens, interpretes videntur intellegere, certe nihil adnotarunt, mihi subobscurum est. Tragicis, inprimis Euripidi, usitatum *χόρευμα* collective, ut significetur *χορός*. Sed hedera certe non saltabat. Valebitne igitur *τὸ τοῦ βακχεύειν καὶ χορεύειν τὰς Θηβαίας αἴτιον*, ut Scholia explicant? Nonne sic Βάκχιον abundat? Vel interpretabimur: „quam gestant mulieres Bacchum celebrantes"? Utrumvis erit contortum. Non sum nescius Euripidem saepe perplexe

1) Codd. *ἑλικτὸς*. Correxit metri causa Hermannus, quem recentiorum editorum plures secuti sunt, *ἵλικος*, hoc accentu. Cur tandem?

loqui in choricis cantibus, sed hic quoque certi sunt fines, neque quod nostro loco improbo satis commode defendetur iis quae infra ab Antigona dicuntur (vss. 1753 seqq.), ut relegenti locum patebit. Rescribendum potius m. i. Βάκχιον *Φόρημα*, quod interprete non eget.

Phoen. 676—689. Nunc mihi res est cum eiusdem cantici exitu.

Καὶ σὲ τὸν προμάτορος | Ἰοῦς ποτ' ἔκγονον
Ἔπαφον, ὦ Διὸς γένεθλον, | ἐκάλεσ' ἐκάλεσα βαρβάρῳ βοᾷ, - - -
βᾶθι βᾶθι τάνδε γᾶν· | σοί νιν ἔκγονοι κτίσαν,
καὶ (cum Hartungio sic Wecklein; αἱ vel ᾗ codd.) διώνυμοι
Περσέφασσα καὶ Φίλα | Δαμάτηρ θεά [θεαί,
πάντων ἄνασσα, πάντων δὲ Γᾶ τροφός
ἐκτήσαντο· πέμπε πυρφόρους | θεάς, ἄμυνε τᾷδε γᾷ·
πάντα δ' εὐπετῆ θεοῖς.

Iterum haereo; nempe in πυρφόρους θεάς. Et haeserunt ante me veteres scribae, proclivi errore πυροφόρους θεὰς exarantes, quod vel metro haud dubie trochaico refellitur. Stet igitur πυρφόρους. Sed quomodo explicandum? Relegant nos recentiores interpretes ad *Suppl.* 260, ubi πυρφόρος θεὰ Δημήτηρ testis invocatur, a Barnesio recte expositum: „ob lampadem quam manu gestans filiam Proserpinam quaesivit." Quaesiveris cur nostro loco etiam Περσέφασσα audiat πυρφόρος. Filia certe matrem haudquaquam lampadem manu gestans quaesivit. Senserunt hoc veteres interpretes quoque aliam prorsus viam ineuntes. Etenim in scholiis legimus: πυροφόρους δὲ εἶπε Δήμητρα καὶ Κόρην, ἐπεὶ δᾳδουχίαι αὐταῖς γίνονται, τοῦ φωτὸς ἐμφαίνοντος τὴν ἐκ τῶν καρπῶν τοῖς ἀνθρώποις ζωήν. Interpretationem alteram verioremque lectionem πυρφόρους respicere apparet, sed ita, ut ex interpretis huius mente passive accipiatur vox (πύρφορος), non „quae facem gestat", sed „cui faces attolluntur", cuius alterum exemplum desidero. Sed sit

quam maxime genuinum πυρφόρους θεάς, utro modo accipiatur. Pergo rogare cur Epaphus eas in auxilium vocare iubeatur. Poterat, credo, Chorus numina Thebarum tutelaria sua sponte implorare. Et cur officium hoc perquam difficile Epapho habetur, ut chorus paene nimium petivisse videatur, excusante id poeta per πάντα δ' εὐπετῆ θεοῖς? Quin poetam plane aliud voluisse mihi persuasum est. Καὶ σὲ ... Ἔπαφον ... ἐκάλεσα βαρβάρῳ βοᾷ· ... πέμπε πυρφόρους βολάς, ἄμυνε τᾷδε γᾷ. „Immitte Iovis nepos — inquit — avi tela, fulmina, in hostes," ut et alii dii per occasionem hoc fecisse a vatibus traduntur; et sic adiectio illa, πάντα δ' εὐπετῆ θεοῖς, erit cur intellegatur. Vox βολαί, *tela*, *missilia*, in hac ipsa fabula recurrit vs. 1145. Apparet illa de Cerere et Proserpina Thebas tutantibus διὰ μέσου esse interposita.

Phoen. 697. Unum in praesenti *Phoenissarum* locum addo. Cleon ad Eteoclem:

ἦ πολλ' ἐπῆλθον εἰσιδεῖν χρῄζων σ' ἄναξ
Ἐτεόκλεες, πέριξ δὲ Καδμείων πύλας
φύλακάς τ' ἐπῆλθον σὸν δέμας θηρώμενος.

Nullus fere est sive editorum recentiorum sive criticorum, quin prius illud ἐπῆλθον corruptum iudicaverit, etsi scimus omnes Euripidem brevi saepe intervallo eadem, sive singula verba sunt sive verborum iuncturae, iterare solere. Sed nostro loco offenderunt Valckenaerius, Musgravius, Geelius, Kirchhoffius, Heimsoethius, Dindorfius, Herwerdenus, fortasse et alii, quorum dubia non vidi. Alii alia proposuerunt: ἐλείφθην Musgravius, ἐμόχθησ' Geelius; haud absimile Herwerdenus (*Revue de Philol.* t. XVIII (1894), 2, p. 94) „ἐμόχθουν aut simile quid"; ἐπήδων vs. 699 Heimsoeth. Ipse propono: ἦ πόλλ' ἐπῆσσον, coll. *Hec.* 1071: πᾷ πόδ' ἐπάξας | σαρκῶν ὀστέων τ' ἐμπλησθῶ;

III. — Adiungam his corollarii instar locos nonnullos ex Scholiis, alios fortasse post daturus. Utar recentissima eorum editione, quam duobus voluminibus insigni industria curavit Eduardus Schwartz v. cl. (1887, 1891).

Ad *Phoen.* 159 seqq. (*Paedag.*: ἐκεῖνος ἑπτὰ παρθένων τάφου πέλας | Νιόβης Ἀδράστῳ πλησίον παραστατεῖ) adnotatur: ἄλλως. ὁ Ἀριστόδημος οὐδαμοῦ φησιν ἐν ταῖς Θήβαις τῶν Νιοβιδῶν εἶναι τάφον, ὅπερ ἐστὶν ἀληθές, ὡς αὐτοσχεδιάζειν νῦν ἔοικεν ὁ Εὐριπίδης. At in vetustissimo et optimo Euripidis codice *Marciano* 471 (M Schwartz; V Cob.) est: ἀντίγονοσ ἀριστόδημοσ οὐδαμοῦ, et sic editum reperimus apud Cobetum (post Geelii edit. *Phoen.*) nihil amplius monentem. Schwartzius importunum ἀντίγονοσ ad calcem paginae relegavit. Expeditum sane remedium. Ipse supplere malim: ἀντι⟨λέ⟩γων ὁ Ἀριστόδημος οὐδαμοῦ φησιν κτλ. Saepiuscule videmus in *Phoenissarum* scholiis (h. l.; 1113; 1119; 1156) hunc Aristodemum ut Thebanum scilicet [1]) ab Euripide vel dissentientem vel erroris eum arguentem.

Ad *Phoen.* 267. De Polynice matris precibus permoto ut cum fratre pacisceretur atque nihilominus ense vitam protegente monetur: ἀνόητον, φασί, τὸ ξίφει πιστεύειν, ταῖς σπονδαῖς δὲ μήπω, εἰ δὴ μόνος (εἰδημόνως *Marc.*) ὢν κρατῆσαι ἠδύνατο ἐπιβουλευόντων τοσούτων. ἀγνοοῦσι δὲ ὅτι κτλ. At requiritur prorsus contrarium: „quasi vel cum ense pluribus insidiantibus par esset." Quapropter Schwartzius coniecit: ταῖς σπονδαῖς δὲ μή, ὡσεὶ δὴ μόνος ὢν κρατῆσαι ἠδύνατο κτλ., constructione non Graeca. Facilius poterit: εἰ δὴ μόνος ὢν κρατῆσαι ἠδυνάτει ἐπιβουλευόντων τοσούτων.

---

1) An adoptione, ut Wilamowitzius eumque secutus Schwartzius (Pauly-Wissowa *Realenc.* s. v.) contendunt?

Ad *Phoen.* 651. Ad initium cantici, de quo supra disputavi, adscribitur: κισσὸς ὃν περιστεφής: ἱστορεῖ Μνασέας ὅτι τῶν Καδμείων βασιλείων κερανωθέντων κισσὸς περὶ τοὺς κίονας φυεὶς ἐκάλυψεν αὐτόν, ὅπως μὴ αὐθημερὸν καὶ ἐν μηδενὶ τὸ βρέφος διαφθαρῇ. Quid hic sibi vult ἐν μηδενί? An *nullo cum fructu*? Suspicor potius Mnaseam dedisse: ὅπως μὴ αὐθημερὸν καὶ σὺν μητρὶ τὸ βρέφος διαφθαρῇ.

Ad *Phoen.* 1377, in eximio scholio de tuba Tyrrhenica, quod equidem Didymo tribuam, haec habemus: πρὸ τῆς εὑρέσεως τῆς σάλπιγγος ἐν ταῖς μάχαις καὶ τοῖς μονομαχείοις ἐν μέσῳ τις λαμπάδα καιομένην ἔρριπτε σημεῖον τοῦ κατάρξασθαι τῆς μάχης. τούτῳ οὖν τῷ σημείῳ ἀντὶ σάλπιγγος κἀν τοῖς περὶ Ἐτεοκλέα χρόνοις ἐχρῶντο. ὕστερον δὲ μετὰ τὰ Τρωικὰ καὶ τὴν εἰς γῆν Ῥωμαίων Αἰνείου κατοίκησιν Τυρρηνοὶ τὴν σάλπιγγα ἐξεῦρον ἐν τοῖς Ἰταλικοῖς πολέμοις, ὅθεν καὶ Τυρρηνὶς ἡ σάλπιγξ ἐκλήθη. τὸ (τῷ MA) οὖν τούτῳ αὐτοὺς (-τὸν M) χρῆσθαι ἀντὶ σάλπιγγος ἀΦ' ἑαυτοῦ ἐμφαίνων ὁ ποιητής φησιν. Quorsum pertinet τούτῳ? Sed fuerit, suspicor, τὸ οὖν πυρσῷ αὐτοὺς χρῆσθαι ἀντὶ σάλπιγγος κτλ. Nempe apud Euripidem est: ἐπεὶ δ' ἀΦείθη πυρσὸς ὡς Τυρσηνικῆς | σάλπιγγος ἠχή. Simul apparet, Didymum non hoc legisse, sed plane contra: ἐπεὶ δ' ἀΦείθη πυρσός, ὡς Τυρσηνικῆς σάλπιγγος ἠχή, quod e recentioribus editoribus unus probavit Valckenaerius.

Ad *Hecub.* 1: πολλάκις δὲ ὁ Εὐριπίδης αὐτοσχεδιάζει ἐν ταῖς γενεαλογίαις, ὡς καὶ ἑαυτῷ ἐνίοτε ἐναντία λέγειν, καὶ νῦν Κισσέως ἔΦη θυγατέρα τὴν Ἑκάβην μετενεγκὼν τὸν πατέρα Θεανοῦς. Supplendum omnino: μετενεγκὼν ⟨ἐπ' αὐτὴν⟩ τὸν πατέρα Θεανοῦς.

Ad *Hecub.* 467 (ἢ Παλλάδος ἐν πόλει | Τᾶς καλλιδίφρου Ἀθαναίας: sic enim lemma scholii et codd.; τᾶς Καλλιδ. θεᾶς

Nauck): οὐ μόνον γὰρ παρθένοι ὕφαινον, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ *περὶ θεῶν, ἀλλὰ καὶ τέλειαι γυναῖκες, ὡς Φερεκράτης ἐν Δουλοδιδασκάλῳ. Ita Schwartzius. Sed Marcianus 471 ἐν τῶ περὶ θεῶν αὐλῆς. Hoc quidem egregie absurdum, quamobrem Cobetus: „αὐλῆς fortasse delendum", sequente editore, qui lacunae signum adiecit. Est hoc, quod supra dicebam, expeditissimum remedium, expungere quae nihil dicunt, at praestabat quaerere unde mirum vocabulum pedem intulerit. Quod sentiens Meinekius ἐν τῇ π. θ. πρώτῃ (α^τῆι) proponebat. Vereor tamen ut sic vitii origo satis pateat. Equidem suaserim: ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ Περὶ θεῶν στολῆς, ut pars operis voluminosi (Περὶ θεῶν) aut ab ipso scriptore hoc seorsim titulo insignita fuerit, aut a grammaticis sic aliquoties potuerit citari. Aliud exemplum mihi non est in promptu, sed non mirarer si ex alio quoque litterarum Graecarum recondito angulo eadem inscriptio aliquando emicatura sit. Conferri etiam possent, nisi lectio tam ab omni parte incerta esset, quae de Hercule narrantur in Scholl. *Il.* Θ 284 i. f.: ἡ δὲ ἱστορία ἀκριβέστερον εἴρηται παρά τε ἄλλοις πολλοῖς καὶ παρὰ Ἀπολλοδώρῳ τῷ γραμματικῷ ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν γενῶν. Nempe Apollodori nomen restitui iusserunt Valckenaerius, Heynius, Bekkerus; sed uterque codex Venetus et Leidensis παρὰ Ἀπολλωνίῳ habent. Ulterius, ut videtur, mutatum scribitur in scholiorum vulgarium (Didymi) collectionibus: παρὰ Ἀπολλωνίῳ τῷ γραμματικῷ ἐν καταλόγῳ νεῶν, quod et ipsum spissum Apollodori nostri opus fuit [1]). Itaque amplius erit quaerendum.

---

1) Prorsus contra olim Valckenaerius (in *Dissertatione de Scholiis in Homerum ineditis*, 1747, p. 120): „MS. (Leidensis) praefert praeter cetera: παρὰ Ἀπολλωνίῳ τῷ Γραμματικῷ ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν γενῶν: *hoc mihi profectum videtur a recentiori*, qui Apollonium noverat scripsisse περὶ γενῶν. Vix dubito, quin antiquus Grammaticus scripserit: Ἀπολλοδώρῳ τ. γ. ἐν β' καταλόγου νεῶν." Itaque videtur Dindorfius in *Scholl. ad Iliad.* editione perperam retulisse: „in cod. Leid. ἐν καταλόγῳ νεῶν".

Accipe, Nabere praestantissime, hanc meam δόσιν ὀλίγην τε — ipse scio — φίλην τε, quae utinam, utut est, apud Te probetur. Hoc quoque: utinam — dicam verbis partim Horatianis — „diu laetus intersis populo nostratum", nobis iunioribus, vel sic tamen satis grandaevis, alacritate Tua et ingenii mobilitate et indefessa industria praeiens studiaque nostra fovens!

DE EMPHASI.

De emphasi

DISPUTATIONIS,

QUAM IN HONOREM

SAMUELIS ADRIANI NABER,

MAGISTRI AMICI SOCERI

OCTOGENARII,

SCRIPSIT

ALBs. POUTSMA,

Prolusio.

Sine pondere habentia pondus.

Glaucus ille Homericus utrum dixerit:

Ἱππόλοχος δέ μ' ἔτικτεν,

quae est lectio sola fere tradita, quam servavere nonnulli editores [1]), an, quod reliquis placuit:

Ἱππόλοχος δ' ἔμ' ἔτικτεν (vel ἐμὲ τίκτεν),

siquis diiudicare velit usus auctoritate librorum mss., forsitan multis videatur stultus atque superstitiosus; qui ipsi, probato magni Porsoni [2]), immo: ipsius Apollonii Dyscoli [3]) consilio, in tali re sententiae et emphaseos tantum rationem habendam

---

1) Barnesius certe et Wolfius (tum a° 1794, tum a° 1817) et Dindorfius (Teubn. ⁴).

2) In ann. de Eur. Or. 514 (ed. Lips.).

3) χρὴ ..... τὸν νοῦν ἐπερείσαντας μὴ διὰ τοῦ τόνου διδάσκεσθαι, διὰ δὲ τοῦ παρεπομένου λόγου. (De Constructione p. 148 Bkk. 20/2, cf. p. 149. 10/3).

esse existimant. Ego vero ne hanc quidem ducem satis certam esse arbitror. Quod quomodo mihi persuaserim, iam conabor explicare; operae enim pretium duxi paulo uberius quam adhuc factum esse mihi videretur disputare de hoc argumento „pusillo, sed ad sensum orationis momenti non nullius", ut cum Schaefero [1]) loquar.

Praemittam exempla aliquot a re minime aliena, sed non sunt Graeca. Scripsit igitur

Martialis, Ep. I. 5. 1:

Do tibi naumachiam, tú das epigrammata nobis.

13. 3/4:

„Si qua fides, vulnus quod *feci*, non dolet", inquit,
„Sed quod tú facies, hoc mihi, Paete, dolet".

V. 13. 9/10:

Hoc égo túque sumus; sed quod *sum*, non *potes* esse;
Tú quod es, e populo quilibet esse potest.

Ovidius, M. XIII. 210/2:

Quid *facis* interea, qui nil nisi proelia nosti?
Quis túus usus erat? Nam si méa facta requiras:
hostibus insidior, fossas munimine cingo.

XV. 111/5: prima putatur

hostia sús meruisse mori, quia semina pando
eruerat rostro spemque interceperat anni;
vite cáper morsa Bacchi mactatus ad aras
dicitur ultoris: nocuit sua culpa duobus.
Quid *meruistis*, oves, placidum pecus?

Cicero, Cat. M. 11:

nisi tú amisisses, nunquam *recepissem*.

Phil. 2. 89:

cum céteri consulares irent, redirent, in sententia *mansi*.

---

1) In ann. de Eur. Hec. 579.

Hi loci [1]) hoc habent commune, quod nostro sensu deest pronomen alteri subiecto oppositum. Cum autem scripsi nostrum sensum pronomen requirere, meum et nostratium meorum intellegi volui, itaque generatim affirmare ausus sum quod de me tantum meisque discipulis compluribus certo scio. Qua in re si cui temeritatis condemnandus videbor, facile feram, siquidem sic etiam magis apparebit quam saepe homines de emphasi inter se dissentiant.

Atque est sane cur quis vel de suis nostratibus dubitet in hac re certi aliquid statuere. Ego quidem haud leviter miratus sum, cum Ulixis verba modo allata, quae Hooft [2]) ita est interpretatus:

Want waertoe dienden ghíj? dan vraechdij wat íck drijve?
De vijant leg ick laech en onse schanse stijve,

eadem sic viderem conversa apud Vondel [3]):

Wat rechtge midlerwijl toch uit in al dien tijt,
Die in krijghskennis roemt geene anderen te wijken?
Maer wat bedreeftge? en vraeght gij weder van gelijken
Wat ík bedreef? 'k Belaegh den vijant. Ík bewal
De graften . . . . . .

Da Costa vero hac usus est periphrasi [4]):

Wat deedt gíj, woestaart! toen, die niets verstaat dan vechten?
Terwijl ík zorgde, en waakte, en onze legerknechten
Bij 't lastige beleg volharding aanbeval,
Den vijand lagen spreidde en 't leger met een wal
En vestingmuur omgaf en voor verrassing hoedde.
'k Was nuttig: gíj verteerde in vruchtelooze woede.

---

1) Minus fidenter comparo Ovid. Tr. I. 6. 13/4: „Sic mea nescio quis rebus male fidus acerbis In bona venturus, si *paterere*, fuit." et Hor. Ep. II. 2. 63/4: „Quid dem? quid non dem? renuis tú, quod jubet alter; Quod *petis*, id sane est invisum acidumque duobus".

2) Gedichten. Voll. uitg. van Dr. F. A. Stoett. II. p. 89. 1491/3.

3) Ovidius Herscheppinge, Uitg. van v. Lennep—Unger.

4) Heldenpleit.

Nec desunt alia exempla. Veluti idem ille princeps poetarum nostrorum Ovidiana illa (M. XIII, 171/8):

ergo opera illius méa sunt. égo Telephon hasta
pugnantem domui: victum orantemque refeci;
quod Thebae cecidere méum est; mé credite Lesbon,
mé Tenedon Chrysenque et Cillan, Apollinis urbes,
et Scyrum cepisse; méa concussa putate
procubuisse solo Lyrnesia moenia dextra.
utque alios taceam: qui saevum perdere posset
Hectora nempe dedi; per mé iacet inclitus Hector.

haec igitur sic vertit Vondel:

Wat hij uitvoerde wort míjn wijsheid toegeschreven.
'k Heb Telef, met de speer gewapent, neêrgedreven,
En overwonnen . . . . . .
De muur van Teben is door míjne hant gevallen,
En Lesbos, Tenedos, en Cille, Apolloos wallen.
'k Won Scirus, smeet Lirnes ter aerde op eene rij,
En veel verzwijgende, zette U Achilles bij,
Die wreeden Hektor velde. Ík velde zoo gevaerlijk
Een' helt . . . . . .

Hooft autem sic:

Als 't geen hij heeft gedaen, noem ick dan 't míjn' met reên.
'k Heb Telephus getemt, 'k heb Theben ingenomen,
Door míj is Tenedon in onse macht gekomen.
Dat Lesbus, Chryses, Cilla, Apollos steden stout
Ons onderdanich sijn, voor míjne daden hout.
En oock dat Lyrnes viel, dat sich te weere stelden.
Ick gaff den naem die den troyaensen Hector velden.
Door míj leyt Hector neer. . . . . .

Et qui apud Ovidium (M. I. 524) queritur:

nec prosunt domino qui prosunt omnibus artes,

Apollo apud Vondel exclamat:

De wetenschap elkeen zoo heilzaem, baet*me* niet.

Porro versiculum illum 115 ex libro XV Metam. idem interpres sic reddidit:

. . . . . O Gij schaepen, ...
Wat hebt*ge* toch verdient? . . . . . .

Denique Iephthae quoque Vondeliani verba huc pertinent (629—38):

O dochter, hoor mijn rouwklaght met gedult.
Ick houde U vrij. Uw vader draegt de schult.
Had hem een lam eerst uit den stal bejegent,
Of witte vaers, toen hij, van Godt gezegent,
En zegenrijck naer 't hof quam uit den slagh,
Men had*ze* Godt geoffert, ...
. . . . . .
Nu zijt*ge* mij bejegent, onbewust
Van mijn belofte, ...

Alia nunc aut omitto aut peritioribus relinquenda intellego [1]); sed, ne forte putes nonnisi apud poetas talia inveniri [2]), addam exemplum unum et alterum ex opusculo quodam, quod qui conscripsit non tantum usus est pedestri sermone, sed, iis certe locis quos sum allaturus, sermonem imitatur cottidianum. Auctor eius olim fuerat De Perponcher, renovavit deinde J. v. Lennep; illud ipsum dico quo Tu nepotes Tuos delectavisti iisdemque profuisti. Ibi igitur legi, immo: legimus, et haec (I. p. 23): „Henriëtte, je grootmoeder heeft ons laten vragen om met een van je beiden buiten te komen eten: de kinders van je tante komen er ook, maar nu woû ik gaarne,

1) Veluti quos locos collega meus Stoett vir doctissimus mihi monstravit apud poetas Medii Aevi, ubi pronomen encliticum legitur contra morem nostrum, in his Esmoreit 364/5: „Al den druc ende den rouwe Dat hebdi mi altemaele ghedaan".

2) Non nego esse quandam vim et necessitatem metricam; qua tamen cum emphasis opprimitur, statuo poetae sensum emphaseos minus fuisse acrem quam meum.

dat jij ditmaal thuis bleef.", et vero illa (I. p. 25): „Alexander, wij zijn verzocht, om met een van je beiden bij je Grootmoeder te komen eten, en daar zullen de kinderen van je Tante ook zijn, en nu had ik gaarne, dat *je* vandaag thuis bleeft en je zusje Henriëtte liet meêgaan." Ac paulo post mater filiolam admonet his verbis: „... maak dat je niets breekt of bederft. Want als 't goed eens gebroken of bedorven is, dan kan men 't niet meer gebruiken, even als *je* nu met je mooie trekpotje niet meer spelen kunt."

Fortasse ea quae adhuc disputavi Te non magnopere moverunt, cum talia exempla rariora esse existimares; nec multum auxilii mihi feret Anglorum hodiernorum usus quidam articuli *a(n)* [1]) aut singularis ille versiculus Goethii [2]), cuius similem neque ipse adhuc inveni neque amicus peritissimus mihi potuit indicare. Ac sint, per me licet, eiusmodi exempla in iis quidem linguis quo pertinent illa quae proposui, haud ita frequentia; quamquam vel sic idonea esse dixerim quae

---

1) Eum dico quem offendimus in proverbio illo: „Birds of *a* feather flock together" et in formulis quibusdam, ut: „of *a* size", „at *a* time". Scio *a(n)* ab origine fuisse adjectivum numerale; sed nihil hoc ad rem, siquidem etiam in iis exemplis quae dedi et in reliquis similibus omni caret pondere; haec autem ipsa est causa cur nos requiramus *one*; quod qui pro *a(n)* substituet, peccabit in sermonem Anglorum.

2) Vorklage.

Wie nimmt ein leidenschaftlich Stammeln
Geschrieben sich so seltsam aus!
Nun soll ich gar von Haus zu Haus
Die losen Blätter alle sammeln.

Was eine lange weite Strecke
Im Leben von einander stand,
Das kommt nun unter Einer Decke
Dem guten Leser in die Hand.

Doch schäme dich nicht der Gebrechen,
Vollende schnell das kleine Buch;
Die Welt ist voller Widerspruch,
Und sollte sich 's nicht widersprechen?

Sämmtl. Werke. Cotta 1840. 1 Bd. p. 9.

nimiam fiduciam lectiones traditas mutandi minuant. Sed Franco-Galli utique saepe emphasin neglegunt, cum nobis ea maxime opus esse videatur! In re nota satis duxi locos aliquot Tibi in memoriam revocare; veluti apud

Racine, Andromaque II. v extr.: Elle en mourra, Phoenix, et *j'*en serai la cause. III. i in.: Le cruel ne la prend que pour *me* l'arracher. III. viii in.: Dois-*je* les oublier, s'*il* ne s'en souvient plus? IV. v extr. Va lui jurer la foi que tu *m'*avais jurée.

Molière, Le Bourgeois Gentilhomme II. iv: Comment monsieur! Il vient nous dire des injures à tous les deux, en méprisant la danse que *j'*exerce, et la musique dont *il* fait profession. III. xiii: Suivez moi, ma fille, et venez dire résolûment à votre père, que, si vous ne *l'*avez, vous ne voulez épouser personne. IV. ii: c'est ainsi que vous festinez les dames en mon absence, et que vous leur donnez la musique et la comédie, tandis que vous *m'*envoyez promener!

La Fontaine, Le Chêne et le Roseau: Tout vous est aquilon, tout *me* semble zéphyr.

Quodsi igitur Franco-Gallus aliquis Porsonus solius sententiae et emphaseos ratione habita judicet de enclisi pronominum Graecorum, saepe aliter judicet atque verus ille Porsonus, eritque Graeci sermonis legum quarundam varietas secundum nationes interpretum!

At Porsoni, qui quidem digni sint tanto nomine, cum et penitus Graece sciant et sint κριτικώτατοι, neque vernaculi sermonis leges obtrudent linguae Graecae, et, cum affirmant emphaseos se rationem habere, hoc affirmant, se eas leges emphaseos observare quas veteres Graeci, saltem scriptores antiqui, secuti sint.

Nempe disputatio iam eo pervenit, quo ab initio tendebat,

ut de ipsis illis legibus quas dixi quaereretur. Hic, priusquam ad rem veniam, pauca mihi praemonenda esse video, unde appareat quibus finibus argumentum meum circumscripserim. Nam plerumque quidem et universe, ubi nos hodie, ibi antiquitus Graeci emphatice loquebantur. Quo genere abuti adeo Homerus inprimis et Herodotus haud raro nobis videntur, cum legimus ὅ γε, σύ γε, ὃ δέ, ubi nos ea minime requirimus. Sed et hanc et reliquam orationem emphaticam ego nunc neglegam, et ea sola curabo exempla quae aut careant aut carere videantur emphasi contra morem nostrum. Cuncti autem fere loci quos consideravi pertinent ad pronomina personalia primae et secundae personae singularis. Denique ex scriptoribus unde locos collegi nemo Demosthene est recentior.

Sed, quod ipsa inscriptio declarat: sola hac prolusione oblata Te hodie salutare statui; reliquam igitur disputationem spero me probaturum Mnemosynae Tuae.

ANNOTATIONES IN SATIRAM PRIMAM GERARDI GELDENHAURII NOVIOMAGI.

Annotationes in Satiram primam Gerardi Geldenhaurii Noviomagi

SCRIPSIT

Y. H. ROGGE.

Philippus Beroaldus, aequalis Geldenhaurii, in extrema Oratione sua Proverbiali agit de verbo ἀντιπελάργειν dicitque: „ἀντιπελάργειν i. e. gratiam rependere posse, quod Graeci usurpant de his, qui gratiam benevole reponunt. Πελαργοί enim, i. e. ciconiae, senescentes parentes educare eosque senio lacessentes (?) ac alarum remigio defectos sublevare ac succollare dicuntur. Unde ciconia avis pia vocatur et antipelargosis remuneratio retributioque beneficiorum nominatur." Sit haec commentatio antipelargosis, si qua est, tuorum erga me beneficiorum.

Ante septem fere annos J. Prinsen [1]) v. d. Collectanea Gerardi Geldenhaurii edidit, in quibus octo satirae inveniuntur. E praefatione apparet editori ad has satiras edendas unum modo exemplar praesto fuisse, quod hodie in bibliotheca regia Vindobonensi servatur.

Nonnullius momenti has satiras esse, ut cognoscamus mo-

---

1) *Collectanea* van *Gerardus Geldenhauer Noviomagus*, gevolgd door een herdruk van eenige zijner werken, uitgeg. door Dr. J. Prinsen J.Lz. Amsterdam 1901 (Werken van het Hist. Genootsch. te Utrecht 3e Serie N° 16).

res atque vitam hominum ineuntis saeculi XVI^{i}, recte vidit Prinsen, sed qui opera horum temporum denuo edere vult, ei non obliviscendum est illas editiones antiquas haud multum differre a manuscriptis auctorum veterum. Mirum quantum vitiis scatent, quae non imputanda sunt auctori — quippe qui plerumque linguae Latinae peritior esset, quam ut tam stulte scriberet — sed ignaro librario. Ad hoc boni editoris est omnia afferre, quae explicationi textus prodesse possint. Nostrum editorem pro virili egisse, nemo est, qui neget. Quin etiam cum sine cortice natare nollet, auxilium invocavit duorum virorum, quos libenter confitemur eiusmodi oneri pares esse. Sed restant nonnulla, nec mehercle mirum! Quisquis non parum accurate, sed ita, ut revera bene omnia intellegat, opera ét auctorum medii aevi ét eorum, qui vulgo humanistae appellantur, legit, is non ignorat, quantum laboris saepe adhibendum sit, ne singulorum verborum vis non effugiat neve incerti simus, quo hoc illudve spectet.

Ex illis octo satiris eam elegi, quae mihi maxime idonea esse videtur ad explicandum, quemadmodum noster satiras suas composuerit. In monachos invehitur poëta, quibus Bacchus et Venus dii sunt, et statim ab initio exclamat nihil religionis avitae in monachis calere. Ut apud Horatium aliosque Monitor quidam introducitur poëtae suadens, ut caveat monachos, qui „lumina sunt mundi, dignantur nomine divum." Nescisne, inquit, carmina praeclari Montani flammis tradita esse? De Montano poeta, cuius opera, cum pauca exemplaria superesse videantur, iterum edere sine dubio operae pretium erit, copiose egit Prinsen. Ut multi alii, Geldenhaurius ingenium Montani admirabatur, id quod non solum apparet ex epistola, quam satiris Montani lectis relectisque auctori scripsit, sed etiam ex ipsius satiris. Quod quamquam Prinsen iam animadvertit, tamen copiosius ostendere mihi necesse videtur.

Cum Monitor monuisset, ne monachos irritaret, poëta respondit:

Quid faciam? tetris viciis colludere blanda
Non didici cauda. Vetat hoc nam Dalmata clarus,
Qui coluit sacro Bethlemica rura ligone.

Tali modo Hieronymum indicare noster sumpsit e Montano, qui in Sat. II vs. 146 sq. scribit:

qui Bethleemitica quondam
Arva pius coluit felici pastor aratro.

Poetam monere alter non desinit:

Vera quidem tacuisse nefas, sed crimini nullo
Foedatum decet esse virum qui crimina carpet.

Ad quae respondet poeta:

Parcemus viciis mediocribus atque peractis
Ante nuces positas [1]), quis nos sordere dolemus.

Etiam in his versibus Montanum nostro exemplo fuisse videbimus, cum legemus in eadem satira vs. 104 sqq.

M. Criminis in quenquam dicturus habebitur expers,
Haec tecum revoluta prius, ne conscia te ipsum
Menda Lycambeo respergat vulnere, signis
Ridiculum propriis. *P.* Ego me quae plurima fari
Vel meminisse potes, numquam patrasse negabo
Excepto si quid prohibet crux, ignis et axis.
Error cuique suus.

---

1) Nonnunquam Prinsen locos Persii, quos noster ante oculos habuit, commemorat. Attamen cum hic praeteriit laudare Persii verba: „nucibus facimus quaecunque relictis". Quanto in honore apud humanistas Persius fuerit, apparet ex hisce Montani verbis: „Sermonis acerbitate, stili aequalitate, allegoria, translatione, vehementia veroque satirarum dicendi charactere alios infra se Persius videt. Qui eum durum nimis in satiris autumant, non cum Beroaldo aut mecum sentiunt, omnis enim in eo duritas aut scabrities aut obscuritas ex rerum ignoratione nobis oritur".

Et paulo post pergit:

Mediocribus ergo lutati
Parcemus viciis, etenim communia nobis
Impunitatem faciunt.

Poeta, haud deterritus Monitoris minacibus verbis, monachorum mores castigat. Describit, quomodo abbates, quorum pingues ventres albentibus vestibus cinguntur, sibi domos aedificent, quibuscum regias comparare possimus. Si quaeras, quid intus celsa atria habeant, haec narrat:

Hic fulgent stemmata regum,
Hic duro Alcides domina resonante flagello
Pensa miser torquet; Priamus fovet hicque Lacaenam,
Hic Veneri iratus Vulcanus vincula nectit,
Scilicet ipsa minus natura libidine pungit.

In tertia Montani satira, quae nos docet vitare Venerem, sermo est de diis amori servientibus, ita ut de diis servi facti sint. Venus Martem, Europa Iovem ipsum rationis egentem reddidit et:

Tertius a decimo fortem domito labor orbe
Destitit Alciden: dominaque sonante flagello
Pensa miser torsit, caeli qui sustulit arcem.

Nondum omnia, quae quis in monachorum aedibus magnificis observare posset, noster enumeravit.

Audio cornipedes phaleratos, audio tristem
Quem dat herba canum sonitum volucresque rapaces.

Quid sit „*herba* canum", non intellego nec credo quenquam intellegere. Scripsit poëta teste metro, nisi fallor: *turba* canum.

Postquam Monitor, veritus ne poëta nimis longe progrederetur, eum frustra coercere conatus est, de luxuria atque ebrietate

monachorum multa dicuntur. Vidit enim noster suis oculis fratres Minores ornatos zonis bullatis, corculis, gemmis,

Quae dedit Alleidis, succensi pignus amoris.

In lepida satira tertia Montani, in qua vividis coloribus describit, quomodo adulescens πρῶτον ὑπηνήτης a callida meretrice decipiatur, eiusdem nominis virgo introducitur.

Malabathro pingui redoles et rore capillos
Assyrio aut Arabi lento sudore liquoris.
Cui precor: Alleidi!

Sed hoc fortasse levioris momenti est.

Non solum simplicitas apud monachos desideratur, sed et alia vitia, ebrietas et lubido, vigent. Quia alter alteri cedere non vult, Nestoris annos ebibunt. Quo facto ratione vino sepulta adit „Francisci ficta propago" virgines viduasque, quae Sirenibus dulci cantu praestant.

Mystica discuntur tunc cantica, verus amorque
Quid sit, narratur; palpantur rite puellae
Lactea quae tremulo colludunt ubera motu.

Eodem modo Montanus de uberibus feminarum loquitur. Multae virgines — sic fere dicit — se componunt et amari cupientes viris ostentant corporis pulchritudinem, flagrantes oculos, crura exilia, ubera

Lactea, quae tremulae vivo sub pectore motu
Colludunt.

Suspicor, videns quomodo noster locum Montani imitatus sit, apud hunc *tremulae* in *tremulo* potius mutandum.

Ad vs. 73 Prinsen annotat metrum claudicare, sed manus abstinet confessus sibi sensum verborum parum perspicuum esse.

Quid dicit poëta?

Postilla multa iocosa
Tandem perpetui chordae referuntur honores
Felicesque docent matres, quas verbere sacro
73 Castigatque steriles; clamant hoc saepe feraces
Evasisse nurus.

Locus recte se habet, si legimus:

Castigant; steriles clamant hoc saepe feraces
Evasisse nurus.

Supprimere nomina prae indignatione non potest: nempe notat libidinem Pontificis Julii II, qui ut concubinae placeat ambitiosius res divinas peragit. Quod ubi audiit Monitor, non amplius se tenet, exclamans: „Est longis manibus!" Haud dissimiliter in satira duodecima apud Montanum Monitor interrumpit verba poëtae, dicentis:

Regibus est virtutis honos et gloria sola,
Quam dedit aut amor aut levium metus historicorum.
M. Quid videsis facias? Maiestas regia longas
Novit habere manus.

In fine satirae poëta laudat tempus actum, id quod apud Montanum quoque saepius invenimus. Revocat in memoriam tempora Cypriani martyris et patris Augustini, qui victis vitiis atque superato daemone triumphantes clara regna coelorum intrarunt. Conferenda nobis est satira decima Montani, quam dedicavit amico suo Gerardo Noviomago hisce verbis: „satiram tibi feci de contemnenda morte, de desiderio regni caelestis, de voluptate, de opibus deque omnis humanae fortunae beatitudine contemnendis et — ut omnia unico exemplo complectar — de solo Jesu Christo imitando, quam, quia tua est, ad te mitto".

SCHOLIA VETERA AD ARISTOPHANIS EQUITUM Vss. 1—20.

Scholia Vetera ad Aristophanis Equitum Vss. 1—20.

EDIDERUNT

M. A. SCHEPERS ET J. VAN IJZEREN.

Quotienscumque Vir Clarissime in memoriam inter nos redimus laetorum proximi anni dierum, quibus Amstelodami habitus est Philologorum ille Conventus, Tui fere mentionem facere solemus. Vix enim quicquam ibi et suavius nobis accidit et honorificentius, quam quod Te in audientium numero habuimus, cum alter nostrum de Scholiis Aristophaneis quaedam exponeret. Neque solum audiebas, sed etiam acutissima quadam observatione prolata ostendisti, quanta animi attentione interesses et quantopere illud argumentum Tibi esset cordi. Itaque cum a nobis peteretur, ut nostrum σύμβολον adiceremus libro, quo Tibi laetum diem celebranti gratulaturi essent Philologi Batavi, statim in mentem nobis venit indignas fortasse non fore quae Tibi mitterentur primitias magni operis, quod nos parare Tibi ignotum non esset: novam dicimus Scholiorum Aristophaneorum editionem criticam.

Scholiorum autem in Equites introitum Tibi offerimus, non quo haec operis pars ceteris tantum praestet sive nobilitate sive novarum observationum varietate, sed quia hucusque

nonnisi ad Equitum scholia collegimus quidquid materiei undique colligi posse videtur.

Scriptorum antiquorum editoribus mos est — neque id sine justa causa — ut in prolegomenis exponant atque demonstrent, quibus rationibus in opere componendo usi sint; qualis autem praefationis ambitum quoniam hodiernus dies ferre vix potest, statuimus nunc eas tantum leges Tecum communicare quibus in his scholiis edendis — nam alibi alia res est — nitendum esse nobis persuasimus easque nullis argumentis stabilitas.

Sunt igitur hae:

I. Codices a nobis collati Ravennas 137,4 A (= R) [1]), Venetus 474 (= V), Laurentiani 31,15 (= Γ) atque 140 (= Θ), Ambrosianus L 39 sup. (= M), Vaticanus 1294 (= Vv5), additis iis quae e Suida (= S) [2]) aliisque Lexicographis hausimus, fere omnia praebent quae ex antiquis horum versuum explicationibus supersunt.

II. A Scholiis Plenis (**S.P.**) seiungenda sunt et glossemata (**Gl.**) et breviora illa excerpta quae Scholia Concisa (**S.C.**) diximus.

III. Codicis R scholia maxima ex parte inter Concisa recipienda sunt nec nisi paucissima praebent quae non meliora atque integriora alibi sunt servata.

IV. Codex V quamquam in universum plenissimam exhibet scholiorum formam, non tamen ea est auctoritate ut non saepius aliunde praestantiora hauriri possint.

V. Codices Γ et Θ, qui cum V quoque affinitate quadam cohaerent, ex uno eodemque fonte prodierunt; quoniam tamen neque propter aetatem neque propter auctoritatem alter eorum

---

1) Codicum sigla adhibuimus quae proposuit J. W. White (Classical Philology I 275).
2) Editione usi sumus Bernhardiana.

alteri semper et ubique praeferendus est, in singulis scholiis utriusque notanda est lectio.

VI. Codex Γ festinanter atque neglegenter scriptus erroribus scatet, qui tamen errores a duabus manibus correctricibus tantum non omnes sublati sunt. Harum autem manuum altera (Γ^1) levioribus correctis aliunde supplevit scholia a Γ omissa, altera (Γ^2) scholia eo modo constituta ita interpolare sibi proposuit ut plane convenirent cum scholiis qualia in V tradita sunt.

VII. Codicis M scholia ideo praesertim alicujus sunt momenti, quia ex alio fonte fluxerunt ac scholia Veneta.

VIII. Codicis Vv5 scholia, cum librarius identidem suo Marte verba atque sententias mutaverit vel omiserit, cautissime adhibenda sunt. Quamquam veri simile est, non omnia ea scholia titulo quo inscripta sunt *σχόλια παλαιὰ Ἀριστοφάνους γραμματικοῦ* digna esse, editori tamen non licet e conjectura statuere quae antiqua sint quae recentiora.

IX. Suidas non pauca servavit ex antiquis ad Aristophanem commentariis quae in Comici codicibus desunt; scholia autem ejus Aristophanea, quamquam partim Concisis annumeranda, omnia bonae sunt notae.

X. Ceteri Lexicographi raro aliquid boni afferunt neque multum proficitur e comparatis aliorum scriptorum scholiis.

XI. Editio Aldina (= Ald.), quae cum codice V cognata est, et ipsa codicis loco est habenda, donec de ejus origine certi aliquid statutum erit; neque tamen dubium quin nonnulla de suo Musurus inseruerit.

XII. Scholia quae nonnisi ex Petri Victorii auctoritate in editionem Dindorfianam recepta sunt, omnino sunt omittenda.

SCHOLIA VETERA IN EQUITES.

S.P. ἡ εἴσθεσις τοῦ παρόντος δράματος εὐθὺς ἐξ ἀμοιβαίων προσώπων ἄρχεται. οἱ δὲ στίχοι εἰσὶν ἰαμβικοὶ τρίμετροι ἀκατάληκτοι ρϙς′, ὧν τελευταῖος ‘καὶ ποικίλως πως καὶ σοφῶς ἠνιγμένος’. μετὰ τούτους δὲ καθ’ ὑποβολὴν στίχοι δακτυλικοὶ ἑξάμετροι [ἀκατάληκτοι] — κατὰ δὲ μονοποδίαν μετρεῖται τὸ δακτυλικόν — ε′. ἐξῆς δὲ πάλιν ἐν εἰσθέσει ἕτεροι ὅμοιοι στίχοι ἰαμβικοὶ τρίμετροι ἀκατάληκτοι μ′, ἐν ἐκθέσει δὲ τούτων στίχοι τροχαϊκοὶ τετράμετροι καταληκτικοὶ ε′, ὧν τελευταῖος ‘ἀλλ’ ἀμύνου καὶ δίωκε καὶ τροπὴν αὐτοῦ ποιοῦ’. ἐπὶ ταῖς ἀποθέσεσι παράγραφος, ἐπὶ δὲ τῷ τέλει τοῦ τελευταίου στίχου κορωνίς. Vv5.

S.C. στίχοι ἰαμβικοὶ ἀκατάληκτοι ρϙς′, ὧν τελευταῖος ‘καὶ ποικίλως πως καὶ σοφῶς ἠνιγμένος’. VΓΘ.

S.P. 1. ἰαττταταιάξ: σχετλιασμὸν δηλοῖ αὐτό τε τοῦτο καὶ τὸ ἑξῆς. ἔοικε δὲ ὁ προλογίζων εἶναι Δημοσθένης ὁ προκαμὼν ἐν Πύλῳ, διὰ τοῦτο. ἄλλως· σχετλιαστικὸν ἐπίρρημα. παρεπιγραφὴ δὲ λέγεται τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ καὶ γίνεται τοῖς σχήμασιν. ἔστι δὲ εἷς τῶν προειρημένων δῆθεν οἰκετῶν ἀποδυρόμενος 〈πρὸς〉 τὸν ἕτερον. VΓΘMAld.

---

3 ρϙς′ scripsimus, ρϙγ′ cod. — 4 ἀκατάληκτοι delevimus. — 11 post ἰαμβικοὶ add. τρίμετροι Γ¹. — ρϙς′, vid. ad vs. 3. — post ὧν add. ὁ VΓ². — 12 ἠνίξατο Γ. — 13 σχετλιαστικὸν M, qui ὁ προκαμὼν ἐν Πύλαις Δημοσθένης προλογίζειν. — 15 verba διὰ τοῦτο (i. e. διὰ τὸ προκαμεῖν) — ἐπίρρημα om. M. — ἐπίρρημα Vv5 ut S, τὸ ῥῆμα VΓΘAld. — 16 τὰ τοιαῦτα λέγονται M, τὰ τοιαῦτα om. V. — 17 πρὸς additum ex Vv5.

S.C. Gl. ἰαττταταιάξ: σχετλιαστικόν ἐστι τὸ ἐπίρρημα. παρεπιγραφὴ δὲ λέγεται τὰ τοιαῦτα. ἔστι δὲ εἷς τῶν οἰκετῶν Δημοσθένης ὁ προκαμὼν ἐν Πύλῳ ἀποδυρόμενος πρὸς τὸν ἕτερον. Vv5.

ἐπίρρημα σχετλιαστικόν. Vv5.

ἰαττταταιὰξ τῶν κακῶν ἰαττταταί: σχετλιαστικὸν ἐπίρρημα. παρεπιγραφὴ δὲ λέγεται τὰ τοιαῦτα S (i. v. ἐποποῖ).

'Ιατταταιὰξ τῶν κακῶν ἰαττταταί' φησιν 'Αριστοφάνης. ἔστι δὲ θρηνητικὸν ἐπίρρημα. S.

ἕνεκα. Vv5.

ἰαττταταιάξ: φεῦ. Hesych.

'Αριστοφάνης 'ἰατταταιὰξ τῶν κακῶν'. λείπει ὧν πάσχομεν. Cram. An. IV 330.

S.P. 2. Παφλαγόνα: τὸν Κλέωνα ὡς δημοτικὸν οἰκέτην. Παφλαγόνα δὲ οὐ τῷ γένει, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐπάφλαζεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. νεώνητον δὲ τὸν νεωστὶ καταξιωθέντα τῆς ἀρχῆς. Παφλαγόνα δὲ τὸν Κλέωνα διὰ τὸ τῆς φωνῆς ἀπηχὲς ἀπὸ τοῦ παφλάζειν ὠνόμασεν· ἔφη γὰρ ὅτι ξένος ὢν ἐπολιτεύετο. ὀνειδίζει οὖν αὐτὸν ὡς ξένον καὶ βάρβαρον. VΓΘAld.

τὸν νεώνητον: τὸν νεωστὶ ἠγορασμένον. ἐπεὶ μὴ ἐκ γένους ἦν 'Αθηναῖος, ἀλλὰ νεωστὶ προσεληλυθὼς τῇ πολιτείᾳ. ἐμφαίνει δὲ διὰ τούτων, ὅτι καὶ τῶν 'Αθηναίων καθάπτεται, ὅτι δέον πιστεύειν αὐτοὺς τοῖς γνησίοις καὶ πολλὰ τὴν πόλιν εὐεργετηκόσιν οἱ δὲ μᾶλλον ἐτίμων τὸν Κλέωνα. πεφύκαμεν γὰρ καὶ τῶν οἰκετῶν μᾶλλον πιστεύειν τοῖς οἴκοι γεννηθεῖσι καὶ τραφεῖσιν ἢ οὓς ἂν ἐπικτησώμεθα πριάμενοι. ἄλλως· τὸ χ ὅτι νεωστὶ τῇ δημαγωγίᾳ

---

7 *ἰαττταταί* scripsimus, *ἰαττταταιάξ* editur. — 13 sqq. verba *ὡς — νεώνητον δὲ* om. Γ, *νεώνητον* suprascr. Γ^2. — 15 sq. *ἀρχῆς ᾗ διὰ* ceteris omissis ΓΘ. — 17 *ἔφη* Γ ut RM, *ἔφην* VΘAld. — *ἐπολιτεύετο* ΓΘ ut R, *ἐπολιτεύσατο* V ut M. — 19 *τὸν* ante *νεωστὶ* om. VM. — *ἐπειδὴ* M. — 20 *δὲ* om. V. — 21 sq. *αὐτοὺς πιστεύειν* V ut Vv5. — 23 *πέφυκε μὲν* VM. — *καὶ* om. Γ. — 24 *ἀνατραφεῖσιν* M, *συντραφεῖσιν* S. — *οἷς* M ut Vv5. — 25 *ἐπι* om. V, eras. in Γ. — 25 sqq. verba *ἄλλως — νεώνητον* om. S, *τὸν νεώνητον κακὸν* pro *ἄλλως* praebet M. — *τὸ χ* scripsimus, *οὐχ* codd., om. Ald. — *τῇ* om. V. —

προσῆλθε. τὸ δὲ ἑξῆς· κακὸν κακῶς ἀπολέσειαν οἱ θεοὶ τὸν Παφλαγόνα τὸν νεώνητον. νεώνητον δὲ ὅτι τὸ † διάστημα νεωστὶ ἐπεκτησάμεθα πριάμενοι. VΓΘMSAld.

est, quod iampridem a multis viris doctis observatum est, et apud omnes hodie constat, eum praefuisse navi illi quam emiserat Conon ad cives in urbe de periculo suo certiores faciendos, deinde eum cum illa nova classe ab urbe profectum, ita paullo postea in praelio navali pugnavisse; inde etiam factum est ut postea in proverbium abiret illud „ἐστρατήγησε μετ' Ἐρασινίδου" (Suid. ed. Bernh. I. 2 pag. 562 s. v.). At fuerat tertius etiam praetor Mytilenae, in quem idem cadit quod in Cononem, eum pugnae navali non interfuisse, quem tamen non liberatum esse cum Conone constat; eum non Leontem sed Archestratum fuisse ostendit Lysias, quem is cum Conone et Erasinide ibi fuisse quidem, sed mortem ibi obiisse testatur, 21. 8. Lysias clientem suum, qui per eos annos trierarchi munere fungens, primum Alcibiade duce, deinde sub praetoribus anni 407, denique sub praetoribus anni 406, expeditionum navalium particeps fuerat, narrantem fecit, navem suam tam bene munitam fuisse, ut eam semper pro praetoria nave sibi habere optavissent praetores, et primum quidem Alcibiadem ipsum eam sibi destinavisse, deinde cum illius imperium abrogatum esset, praetores vere anni 407 creatos, inter quos iam tum (Hell. 1. 5. 16) et Erasinides et Archestratus fuerunt, omnes eam concupivisse, et post multas rixas Archestratum tum ea potitum esse; eum autem tamquam praetorem eam retinuisse quamdiu viveret, et cum is Mytilenae obiisset, tum demum statim Erasinidem eam cepisse. Haud male ad eam rem adnotavit vir cl. Herbst (die Schlacht bei den Arginusen, Hamburg 1855, pag. 17 adn. 26), hanc illam navem fuisse videri, qua Erasinides e portu Mytilenae evectus nuntium obsidionis Athenas pertulerit, quo fieret ut ad praedicandas laudes navigii sui hoc quoque afferre potuisset cliens Lysiae, si voluisset, in eo itinere Erasinidem tam bene navigasse. Archestratum, quamquam non ipsa voce praetorem

eum appellat Lysias, tamen tum cum moreretur non fuisse virum inferioris ordinis veluti taxiarchum, ipsa narratio ostendit, quippe cui navem adeo appetitam, quae per duos annos iam praetoria fuerat, vere anni 406 retinere certe non permissuri fuissent praetores, si tum magistratu abiens privatus factus esset. Nihil profecerit qui coniciat, Archestratum aestate anni 406 non praetorem sed pro praetore mortem Mytilenae obiisse; ei ratio reddenda esset qui fieret ut Leon neque cum Conone liberaretur neque cum reliquis pugnae interesset; praeterea Xenophon, qui viros extra ordinem praetoria potestate praeditos nominatim indicare solet (cfr. ex. gr. Phanodemum Hell. 1. 5. 18), eum etiam nominavisset si eum pro praetore Mytilenae adfuisse credidisset. Denique de errore aut mendacio a Lysia admisso cogitandum non est; quamvis parvi ad veritatem pretii eius argumenta vulgo fuisse dixerit aliquis quoties tuto mentiri ei liceret, probe ei cavendum fuisse patet, ne in rebus publicis quas tangeret, in nominibus praetorum et aliis eius modi rebus, clientes suos aliqua fraude uti sineret, cuius facile convinci possent. Universa ratio orationis probat, eam fidem Lysiae hac in re habendam esse, quam ne Hellenicorum auctoris dissensio quidem possit infringere. Praetores igitur, qui a. 406 ex iudicio perierunt, fuerunt sex: 1 Thrasyllus, 2 Erasinides (Xen. Comm. Socr. 1. 1. 18), 3 Pericles, 4 Diomedon, 5 Lysias, 6 Aristocrates (Xen. Hell. 1. 7. 2, Philoch. fr. 121; Diodorus 13. 101. 5 eosdem nominat praeter Erasinidem, pro quo Calliadem ponit). Qui ante iudicium peregre se receperant et absentes condemnati sunt, fuerunt duo: 7 Protomachus, 8 Aristogenes (Xen. Hell. 1. 7. 1, Diod. l. l.). In magistratu remansit unus: 9 Conon; ante praelium obiit: 10 Archestratus.

II. De Platone falsi numeri auctore. — Falsum numerum praetorum — sed alium quam a Xenophonte in Commentariis — a Platone in Apologia Socratis editum esse

nemo nescit [1]). Platonem quo tempore Apologiam scribebat, quod aliquot annis post annum 399 a. C. factum esse credo, non solum illius numeri falsi certum auctorem nullum habuisse contendo — nam quis tandem illo brevi temporis spatio quod inter iudicium praetorum habitum et Apologiam scriptam interpositum fuit, ei auctor exstitisset qui de re tum minime ignota consulto mentitus esset? — sed eum ne proprie erravisse quidem existimo. Plato illa verba scribens aliquid fecit, quod in tali re scriptori, ad minutias rerum descendere nolenti, et verum numerum accurate exquisitum quem ponat ad manum non habenti, non solum facile ut faciat accidere posse, sed etiam facere licere credo. Is cum ad „τοὺς στρατηγούς" aliquid addere vellet, quo simul indicaret collegium unius anni a se respici, simul vero, neminem absolutum esse de eis, quorum necandi potestas tum populo fuisset, — quorum illud assequi non poterat per vocabulum „πάντας", et facillime assequi poterat per vocabulum „δέκα", quia annuos praetores denos esse nemo nesciebat, quorum hoc vero minime exigebat numerum accurate definitum —, cum denique immemor esset Cononis, quem si meminisset omnino in ea culpa non fuisse, certe illud scripturus non fuisset, adscripsit eum numerum, qui proprie quidem falsus esset, sed qui e mente auctoris rem tantummodo indefinitam relinqueret, quemadmodum nos saepe numeros „rotundos" sine errore ponere solemus pro veris; quod scribebat „τοὺς δέκα στρατηγούς" ei fuit pro eo quod est: „totum collegium eius anni", de quo num forte unus alterve a iudicio abfuisset, neque negabat neque affirmabat, neque quidquam curabat. Quam facile, neque perperam, in talibus rebus ad numeros indefinitos sive rotundos dela-

1) Plat. Apol. c. 20: ὅτε ὑμεῖς τοὺς δέκα στρατηγοὺς τοὺς οὐκ ἀνελομένους τοὺς ἐκ τῆς ναυμαχίας ἐβούλεσθε ἀθρόους κρίνειν.

bantur scriptores, exemplo sit Aristoteles, qui in Athen. Rep. c. 3 § 1 scripsit: *τοὺς δέκα στρατηγοὺς τοὺς τῇ ναυμαχίᾳ νικῶντας*, cum ipse deinceps addat, de decem praetoribus quosdam non interfuisse pugnae, qui certe non fuerunt *νικῶντες*. Inter scriptores autem, qui et ante et post Platonem de ea re scripserunt, fuerunt alii, qui rem paullo cautius tractantes, numerum omittere maluerunt [1]); alii fuerunt qui aut Platonem imitati, aut sponte sua idem facientes, eodemmodo quo ille numerum denarium indefinite ponerent [2]). Sed fuerunt etiam, quod certe non praevidit Plato, qui ab eo adducti in errorem inciderent, et ipsi quidem ei, quibus rem maiore quam aliis cura tractare propositum erat, Xenophon primum, deinde Aristoteles.

III. De numeris a Xenophonte et ab Aristotele traditis. — Xenophontem cum in commentariis (inter annos 370 et 360 editis) numerum falsum ederet, Cononis memorem fuisse, sed Archestrati fatum etiam ignoravisse,

---

1) Lysias 12 adv. Eratosth. § 36: *τοὺς μὲν στρατηγούς, οἳ ἐνίκων ναυμαχοῦντες... θανάτῳ ἐζημιώσατε.* — Pausan. 6. 7. 7: *ἡ ἐς Θράσυλλον καὶ τοὺς ἐν Ἀργινούσαις ὁμοῦ τῷ Θρασύλλῳ στρατηγήσαντας προπέτεια.* — Liban. Apol. Socr. § 202: *τῶν ἀμφὶ Θράσυλλον καὶ Περικλέα.* § 203: *τοὺς στρατηγούς.* — Athen. 15 pag. 218a (Xenophonte auctore usus): *ὁ διαψηφισμὸς ὁ γενόμενος κατὰ τῶν περὶ Ἐρασινίδην στρατηγῶν.* — Suidas (Bernh. I. 1 pag. 1209) s. v. δεξιός: — *ἥ τε τῶν ἐν Ἀργινούσαις στρατηγῶν ἀπαγωγή, ἣν Θηραμένης συνεστήσατο μετὰ Καλλιξένου.* — Idem (Bernh. I. 2. p. 562) s. v. *ἐστρατήγησε μετ' Ἐρανισίδου κ. τ. λ.* — Themist. Orat. 2 p. 58: *Σωκράτης οὔτε ἐπιψηφίσαι ἐξεβιάσθη κατὰ τῶν ἀμφὶ Περικλέα καὶ Ἐρασινίδην καὶ Διομέδοντα στρατηγῶν.* — Arr. Diss. Epict. 4. 1. 164 nihil aliud habet quam: *Σωκράτης ὁ μὴ ἐπιψηφίσας Ἀθηναίων κελευόντων*, quamvis ea ex Platonis Apol. hausta sint.

2) [Plat.] Axioch. c. 7 pag. 368 D (secundum Stobaeum): *τοῦ δὲ πρώην οἱ δέκα στρατηγοί*; — Ael. Var. Hist. 3. 17: *Σωκράτης οὔτε ἐπεψήφισεν Ἀθηναίοις τὸν τῶν δέκα στρατηγῶν θάνατον.* — Diog. Laërt. 2. 24: *ἦν καὶ μόνος ἀποψηφίσασθαι τῶν δέκα στρατηγῶν.* — Hermog. *περὶ ἰδεῶν* 1. 6 Laur. p. 279: *Ἀριστείδης ἀντιλέγων τῷ Καλλιξένῳ συμβουλεύοντι μὴ θάπτειν τοὺς δέκα στρατηγοὺς ἐπειδὴ ἀνηρέθησαν μιᾷ ψήφῳ.* — Val. Max. 1. 1. Ext. 8: Diomedon unus de decem ducibus, quibus Argennusae eadem pugna et victoriam et damnationem popererunt. — Id. 3. 8. Ext. 3: Universa civitas Atheniensium — de capite decem praetorum qui apud Arginusas Lacedaemoniam classem deleverant, tristem sententiam tulerat.

neque de ipso iudicio Athenis habito tam accurate etiamtum inquisivisse, ut bene sciret quotnam praetores condemnati essent, manifestum est. Conone deducto, ad numerum novenarium pervenit. Id probat, numerum denarium, a quo proficiscebatur, non ei visum esse numerum indefinitum sive rotundum, sed certum et definitum. Ignorare enim non potuit, de numero indefinito, si unum eximendum esse pro certo forte novimus, non licere uno deducto novum numerum inde derivare; ita enim, si quis id faceret, eum ad numerum perventurum esse, qui definitus quidem esset, sed idem esset falsus. Xenophon igitur numerum denarium, quem corrigebat, definitum esse existimaverit, sive, quod idem est, certum eius numeri auctorem habuerit, necesse est; in hac re eum erravisse manifestum est, quod numerum, ab auctore aliquo sibi traditum qui eum pro indefinito haberi vellet, pro definito habuerit. Eum auctorem haud alium esse potuisse quam Platonem Apologiae auctorem, iam per se clarum esse arbitror; certe rem ita se habere mihi dabit, quicumque reputaverit quantum Apologiae Platonis exemplo debuerit Xenophon in scriptis suis Socraticis. — Sed idem cum postea Hellenicorum librum primum scriberet, iam in eo erat ut, omissa Platonis auctoritate, numerum condemnatorum constituere posset quem assecutus esset inquirendo, et eum quidem octonarium, qui erat numerus verus. Unus error tantum tum etiam apud eum remanebat; de Archestrati fato nondum accurate edoctus, pro eo ex collegio superioris anni falsum nomen (Leontis) substituit.

Alter auctor quem imprudens quidem, sed non imprudentem eundem, in errorem adduxit Plato, fuit Aristoteles. Quod is scribere ausus est, hoc est: inter praetores condemnatos fuisse quosdam, qui ne interfuissent quidem pugnae navali; alios, qui in aliena nave salutem quaesivissent; universos autem

qui condemnati essent, fuisse decem [1]). At, id affirmantes nos interpellat Blass, quem virum clarissimum honoris causa nomino. Is (in quarta editione a 1903, pag. 56 et pag. 138): „noli credere, ait, Aristotelem scripsisse, condemnatos fuisse decem; numerus falsus est, fieri igitur potest ut a grammatico additus sit; itaque ecce eum uncis includo, vitio Aristoteles levatus est." Audio verba magistri venerabilis, cuius mortem recentem etiam lugemus omnes; ad obsequendum paratus sum. Sed postquam numerum sustuli, hoc tamen manere video, Aristotelem quosdam praetores condemnatos esse scripsisse, qui pugnae non interfuissent, quos Athenienses ut innocentes esse nescirent, fieri nullo modo potuisset. Itaque, si statuo novem praetores pro decem condemnatos esse voluisse Aristotelem, statuendum simul mihi est, eum hoc voluisse, tres praetores pugnae non interfuisse, et de tribus illis unum quidem non esse accusatum, sed duos tamen de eis cum ceteris esse condemnatos; si octo, credere debeo eum statuisse, quattuor praetores pugnae non interfuisse, e quibus duo tantum non essent accusati neque condemnati. Neutrius rei manifesto falsae ullum auctorem habuisse potest Aristoteles; utrumcumque tradidit, consulto et impudenter mentitus sit necesse est. Quodsi perspexisset Blass, certe numerum denarium e textu non removisset; quo servato, iam licebit nobis errorem Aristotelis non excusare quidem, sed quodammodo tamen explicare ex diversis auctorum traditionibus male ab eo permixtis. Sed facere non possum quin hoc loco in transitu lectorem moneam de necessitate abstinendi ab illa coniecturarum, ad numeros et facta pertinentium, faciendarum levitate, qua „corrigendi" nomine textus traditos subtrahendo

1) Aristot. Ath. Resp. 34 § 1: *τοὺς δέκα στρατηγοὺς τοὺς τῇ ναυμαχίᾳ νικῆντας συνέβη κριθῆναι μιᾷ χειροτονίᾳ πάντας, τοὺς μὲν οὐδὲ συννανμαχήσαντας, τοὺς δ' ἐπ' ἀλλοτρίας νεὼς σωθέντας.*

fidem corrumpere tam saepe placuit quibusdam; quo in genere crebrius apud doctos vicinos nostros Germanos quam apud nos peccari solet. Quodsi numerum denarium ex verbis Aristotelis removere debemus quod falsus sit, quo iure eum retinemus in Apologia Platonis? Facillime nimirum ita omnes difficultates solvuntur! Raro autem accidit ut eiusmodi coniectura pessima et utique fallax tam facile explodi possit quam hoc loco fieri potest; qua si abstinuisset Blass vir acutus et artis criticae unus omnium peritissimus, non culpam Aristotelis per se iam satis gravem in crimen mendacii turpissimi convertisset. Iamvero certum auctorem unum saltem habuisse Aristotelem facile demonstratur; quod dixit, inter praetores condemnatos fuisse quosdam *ἐπ' ἀλλοτρίας νεὼς σωθέντας*, id ex ipso Xenophonte ab eo sumptum sit necesse est, quia Xenophon id tradidit in ea narrationis suae parte quae maxime ei propria est, oratione Euryptolemi [1]). Et revera Aristoteles Xenophonti hac in re quoque aurem praebuit, quod dixit quosdam praetores non interfuisse pugnae; eis verbis enim respicit Cononem et Leontem quem pro Archestrato posuit Xenophon. Quamquam ita nescire non potuit, eos praetores secundum Xenophontem non fuisse una cum ceteris condemnatos, et octo tantum secundum eum esse condemnatos, sex necatos. Nihilominus spreto Xenophonte hoc affirmavit Aristoteles, illos etiam condemnatos esse, qui pugnae non interfuissent. Totidem verbis eam calumniam populo Atheniensi, cuius hospitio tam diu usus est, adspergere ausus est. Sed eum id facturum non fuisse prorsus certum mihi est, nisi habuisset auctorem quem se ea in re Xenophonti praeferre aut debere aut saltem posse crederet. Is auctor ei

1) Xen. Hell. 1.7.32: *οἱ σωθέντες ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, ὧν εἷς τῶν ἡμετέρων στρατηγῶν ἐπὶ καταδύσης νεὼς διασωθείς, ὃν κελεύουσι τῇ αὐτῇ ψήφῳ κρίνεσθαι, καὶ αὐτὸν τότε δεόμενον ἀναιρέσεως, ἥπερ τοὺς οὐ πράξαντας τὰ προσταχθέντα.*

fuit Plato. Plato decem praetores condemnatos esse auctor esse ei visus est, cum numerum a Platone „indefinite" positum, pro definito numero haberet, eodem modo quo antea Xenophon Commentarios Socraticos scribens. Ea auctoritate igitur in errorem adductus — vel ut potius dixerim, ea auctoritate non sine malignitate quadam libenter arrepta, cum facile potuisset auctore Xenophonte ab ea discedere, si voluisset — id scripsit quod scripsit. Quod postquam demonstravi, aliquid addere volo quo responsum dare coner ad quaestionem quae ultro se obfert, qui fieri potuerit ut Aristoteles tam turpiter peccaret.

IV. De arte critica ab Aristotele perperam adhibita. — Quo tempore scripsit Aristoteles, ratio bene utendi auctoritatibus scriptis, quam rationem nos artem historico-criticam hodie dicimus, etiam nova erat, et ut ita dicam recens nata. Nata enim erat ante paucas annorum decurias; Atthidum scriptores antiquiores eius fuerant auspices. Haud paullum differebat ab arte critica illa, cui antea opera danda fuerat praeclaris historiae scriptoribus antiquioribus; qui cum excellerent in eo artis criticae genere, quo tum cum scriberent opus erat, et pro suo quisque ingenio et pro sua quisque facultate egregie in eo versati essent, tamen, cum fere ea scriberent quae possent aut ex vivorum sermonibus aut ex libris singulis et fontibus simplicibus cognosci, nondum adhibuerant illud difficilius et implicatius artis criticae genus, quod totum consistit in conquirendis permultis auctoritatibus scriptis ad easdem res pertinentibus, in diligenter ponderandis acuteque aestimandis auctoribus, in eruenda veritate historica ex differentiis et dissensionibus. Id novum artis criticae genus quam necessarium simul et difficile esset, etiam prorsus latuit scriptores quosdam aetatis Aristotelis, ut Ephorum; alii pro viribus nuper id colere susceperant, Atthidum scriptores. Aris-

toteles totum se ei dedit. Sed mirum non est, in arte nova necdum communi opera multorum exculta, eum aliquatenus defecisse. Aristoteles magnus est in hac illius artis parte, quae consistit in auctoritatibus conquirendis, in traditionibus diversis quarum ratio haberi possit inter se comparandis, in animadvertendis differentiis. Quam multos auctores collegerit, libros inspexerit, fontes extremo ore degustaverit, hoc loco persequi ne conabor quidem; cognitionis auctoritatum quibus usus est bonum fundamentum posuisse mihi videtur Busolt v. cl. in Gr. Gesch. vol. II. Quod ex illis fontibus hauserat Aristoteles, id scribendo usurpare veritus non est, etiamsi longe ita ab opinionibus vulgatis recedendum ei esset; suus esse audet in historia; ad opiniones tralaticias recoquendas vel propriis commentis augendas, neque incuria veri neque vanitate se perduci passus est; quod quam magnum sit, docet exemplum eius aequalis Ephori. Nobis etiam est quod gaudeamus, cum traditiones novas, quas veteribus admiscuit Aristoteles, cognovisse nobis valde utile sit. Sed in hac parte artis deficit: auctoritates rectissime aestimare nondum didicit. Nimis saepe ei accidit, ut bono auctore quem sequi coeperat temere deserto, ad pessimum temere transiret, nullam aliam ob causam quam quod is ab illo dissentiret, utque bonorum vel satis bonorum auctorum traditiones, admixtis aliorum qui nihil valerent dissensionibus, corrumperet. Ita saepe erravit, saepe etiam unitatem rerum describendarum servare nequivit. Inde ortae sunt ineptiae quas de Draconte, obscuritates quas de rebus a. 411 gestis nobis obtulit, et multa alia eiusmodi. Ne huius regulae quidem, in arte critica primariae, rationem quantum satis erat habuit, non licere duas diversas auctoritates ad eandem rem pertinentes ita contaminando permiscere, ut inde tertium aliquod exsistat quod utrique repugnet, specie novum, necessario falsum; exemplum eius rei valde perspicuum

est quod modo demonstravi, quod partim Xenophonti qui octo praetores navali pugnae interfuisse traderet, partim Platoni qui decem condemnatos esse dicere ei videretur, obsecutus, aliquid inde deduxit, quod nemini umquam populo Atheniensi imputare in mentem venisset, quod scripsisse ipsum pudere oportuit. Eius perversae rationis etiam alia apud eum exstant indicia satis multa, quamquam nullum aliud est, quod rationis perversitatem tam clare prae se ferat. Sed ad imperitiam auctoribus bene utendi, aliud etiam aliquid in eo accedere mihi videtur. Errores eius, quos referre non licet ad malam fidem, multo minus ad stultitiam, aliqua ex parte referre velim ad vanitatem magistri laudibus laureisque assueti, qui cum in omnibus disciplinis incredibile quantum profecisset ingenio et doctrina, in historia similis gloriae reportandae cupidus, nimiam operam dederit ostentandae doctrinae. Aristoteles, quemadmodum suo iure suus esse solebat in philosophia, in historia naturali, in tam multis aliis disciplinis, nimis etiam suus esse voluit in rebus gestis memoriae tradendis, in quibus nemo plane suus esse potest, quandoquidem historia ex veritate rerum traditarum pendere debet. Ita factum est ut in novandis traditionibus nimius esset; ut nollet se ab ullo auctore pendere existimari a lectoribus suis; ut plurimi faceret eis ostendisse, nullum Thucydidem esse tam rerum peritum, nullum Herodotum tam candidum, nullum Xenophontem tam bonae fidei, nullum Androtionem tam diligentem, quem non ipse posset reprehendere, emendare, supplere, doctrina denique et ingenio superare. Tali studio adductum etiam Aristotelem, summum omnium disciplinarum auspicem, in levitatem et veri incuriam incidere potuisse intellego, et ab eo quod ex animi sententia ipse pro vero habere posset, imprudentem longe aberrare.

Hic iam finem facio. Vidimus, in tradendo numero praeto-

rum a. 406 condemnatorum, primum a vero aberravisse Platonem in Apologia, sed eum sine ulla neglegentiae vel ignorantiae culpa, cum ne ipse quidem verba sua ad litteram accipi voluisset. Deinde Xenophontem inter annos 370 et 360 Commentarios scribentem, a Platone in errorem inductum, falsum numerum rettulisse quem corrigendo a Platonis numero derivasset; eum quoque imprudentem, cum historiam eius temporis, quo de praetoribus olim Athenis iudicatum erat, nondum accurate exploratam haberet. Eundem vero paullo postea ad eam historiam diligenter indagandam se contulisse, et eo tempore quidem quo Hellenicorum suorum initio, ab Hell. III. 1 incipientium, quorum iam aliquam partem absolutam manibus teneret, duobus libris additis quibus ad exemplum Thucydidis „annalistica" ratione tractaturus esset res inter annos 411 exeuntem et 399 gestas, finem historiarum Thucydidearum adnectere et adiungere decrevisset. Ita fieri ut Xenophon (aut ante aut post annum 360) in primo Hellenicorum libro numerum iustum tradiderit, sed tamen ut eius auctoritas tum etiam defecerit in edendo nomine unius de decem, quod Lysias nobis servavit. Denique Aristotelem in libro de Ath. Rep. ita inter se permiscuisse auctoritates Xenophontis et Platonis, ut Athenienses posset falso crimine insimulare, quasi condemnassent praetores quosdam ob res post proelium male gestas, qui proelio ne interfuissent quidem [1]).

1) Quod de Aristotele a Platone in errorem adducto affirmavi, specie tantum et verbis, non re, diversum est ab eo quod Wilamowitz scripsit (Arist. u. Athen. 1 pag. 128): „auf jedem fall konnte er so reden lediglich auf grund einer unsicheren tradition, die unter den Sokratikern von der grossthat ihres meisters lebendig sein musste, und es ist irrelevant, ob vielleicht auch andere so geirrt hatten". Traditio quae decepit Aristotelem, quam nonnisi scripto ad eum pervenire potuisse patet, eatenus apud Socraticos viros viguisse dici potest, quod Plato, a quo eam profectam esse dixi, et auctor Axiochi, fuerunt viri Socratici; qui praeterea idem quod Plato tradiderunt, a me citati sunt pag. 394 adn. 2. — Hoc solum fortasse discrepat, quod eam traditionem, quam quomodo ortam esse existimaret non prodidit W., a Platone nolente excitatam esse apud me constat.

Duae res igitur etiam imperfectae mihi manent; prima haec, ut ostendam, libros I et II Hellenicorum etiam alia indicia prae se ferre, se sero demum neque valde accurate a Xenophonte scriptos esse, et de rebus bellicis in eis narratis, quibus ipse Xenophon iam adultus et stipendia merens interfuisset, ne sermonem quidem esse debere; altera haec, ut demonstrem, Xenophontem cum post annum 370 Socratica sua inchoaret, ita imbutum fuisse cognitione Apologiae Platonicae, ut ea non solum tamquam exemplo et fonte unius scriptionis (nempe Apologiae Xenophonteae) uti posset, sed etiam in aliis libris (Symposio, Commentariorum partibus quibusdam) eius saepe memor esset; quin etiam ut mentionem quam de praetorum iudicio in Commentariis bis fecerit Xenophon, ad exemplum a Platone in Apologia datum inseruerit; qua re demonstrata mirifice confirmetur quod posui, falsum numerum a Xenophonte in Commentariis exhibitum ab eo esse derivatum ex Apologia Platonica. Eas res igitur ad aliud tempus et ad otium futurum reservo.

DE ORATIONE ΠΕΡΙ ΑΛΟΝΝΗΣΟΥ, QUAE DICITUR, HEGESIPPO ORATORI VINDICANDA.

De oratione περὶ Ἀλοννήσου, quae dicitur, Hegesippo oratori vindicanda.

SCRIPSIT

MATTHEUS VALETON.

Nihil, ait Cicero, otiosa senectute iucundius, si tanquam pabulum aliquod studii atque doctrinae habet. Hoc si verum est, ut est sane verissimum, Tibi, Clarissime Naber, octogesimo iam anno peracto ut cui maxime gratulari decet. Crudam agis senectutem ac viridem, quam si quid valent nostra vota, ad extremum usque finem aetatis humanae producturae sunt Sorores.

Nunc vero, honoris Tui causa, conscribi aliquid oportet. Cuius equidem officii libentissime particeps orationem περὶ Ἀλοννήσου, quae dicitur, quam inde a Libanio omnes ante Belochium v. cl. qui de ea re egerunt [1]) Hegesippo oratori tribuunt, huic ab illo detractam [2]), reddere conabor.

Et primum quidem hoc constat, qui eam scripserit aut ipsum fuisse Hegesippum, aut pro eo voluisse haberi. Loquitur enim de sua ad regem Philippum legatione [3]), solam

---

1) Praeter alios Voemel. v. d. prolegomen. ad orat. de Halonn.
2) Gr. Gesch. II p. 539 in ann. 1.
3) Praeterea tecte eam significat 9.

autem legationem, cuius inter Pythia anni a Chr. n. 346 et pugnam Chaeronensem ab Atheniensibus ad Philippum missae mentio fit, Demosthenes docet (de fals. leg. 331) suscepisse Hegesippum [1]). Accedit quod — in Argum. orationis *περὶ Ἀλοννήσ.* 3 — Libanius haud dubitanter perhibet ab Hegesippo Callippum quemdam, populi sciti de Cardianis auctorem, accusatum esse *παρανόμων*, qua ipsa re gloriatur (42) auctor orationis. Minus igitur considerate Beloch Demosthenis hunc sibi accommodasse personam contendit. Quod propterea iudicat, quoniam Halonnesum insulam, antiquitus Atheniensium, quam a piratis ceperat Philippus, illisque se dare paratum esse dixerat, orator monet cives suos, non a Philippo accipere (*λαβεῖν*) sed recuperare (*ἀπολαβεῖν*) eos debere, constare autem censet Beloch ex Aeschinis oratione contra Ctesiph. (83), haec iactasse Demosthenem. Iamvero quod Aeschines dicit l.l.: „[Δημοσθένης] *ἀπηγόρευε μὴ λαμβάνειν εἰ δίδωσιν, ἀλλὰ μὴ ἀποδίδωσιν,*" fieri tamen potest ut ab alio dicta Demostheni obtruserit. Sed hunc fac dixisse, quod credibile est, cur non potuit repetere Hegesippus? Quod iam animadvertit Libanius, quem immerito Beloch consilii inopem hoc excogitavisse vult. Quid? cur non potuerunt eis vocibus „*μὴ δοῦναι, ἀποδοῦναι*" „*μὴ λαβεῖν, ἀπολαβεῖν*" tamquam tesseris uti *οἱ μισοφίλιπποι*? Ut in epistola Philippus, quam anno post Athenas misit: *τὴν νῆσον οἱ ῥήτορες λαμβάνειν μὲν οὐκ εἴων, ἀπολαμβάνειν δὲ συνεβούλευον.*

Deinde autem Beloch, orationi nostrae, inquit, si fides est, Athenienses poposcerunt ut Philippus sibi redderet Amphipolin et Potidaeam, idque tribus annis post pacem Philocrateam, quod prorsus incredibile est. At de Potidaea reddenda

---

1) Quod autem Libanius (in Argum. *π.* Ἀ. 4 sq.) Hegesippum inquit Demosthenis in legatione collegam fuisse, fallitur, nam e Dem. verbis: „*τὸν γὰρ Ἡγήσιππον ὁρᾶτε καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ πρέσβεις πῶς ἐδέξατο*" contrarium sequitur.

in oratione nostra ne verbum quidem (nam quae de Potidaea leguntur 9 sq. manifesto illuc non pertinent), de Amphipoli autem in Philippi epistola modo laudata vide haec (20): „οἱ (i. e. oratores) πρὸς τοῖς ἄλλοις εἰς τοῦτο τόλμης ἥκουσιν, ὥστε καὶ περὶ Ἀμφίπολιν πρὸς ἡμᾶς ἀμφισβητεῖν ἐπιχειροῦσιν". Verum inde non apparet Athenienses poposcisse ut redderetur Amphipolis. Audio. Sed frustra Beloch hoc ex oratione nostra efficit. Nihil in hac legitur de Amphipoli aliud, nisi idem quod in ipsa epistola. Philippum orationis nostrae auctor tradit per Pythonem, legatum, Athenienses iussisse (22), si quid in pace Philocratea reprehenderent „τοῦτ' ἐπανορθώσασθαι", qua opportunitate usum populum iussisse [1]), primum (18), ἑκατέρους ἔχειν τὰ ἑαυτῶν pro eo quod erat in pacis conditione (26) „ἔχειν Φίλιππον ἃ εἶχεν", tum (30) τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ὅσοι μὴ κοινωνοῦσι τῆς εἰρήνης, ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους εἶναι, καὶ ἐάν τις ἐπ' αὐτοὺς στρατεύῃ βοηθεῖν τοὺς κοινωνοῦντας τῆς εἰρήνης. Aliud quidquam iussisse populum ex oratione nostra non apparet. Sed praeterea ex ea, si ei fides est, discere licet, aliquanto post Philippum misisse epistolam, aliunde non notam, — propter quam ipsam oratio nostra habita sit, ut declararet orator quid sibi Philippo respondendum videretur (46), — in qua scriberet (26) „Ἀμφίπολιν ἑαυτοῦ εἶναι". Quid hoc cum populi scito illo? In oratione nostra non totidem verbis id dicitur, at tamen inde colligere licet. Haec enim in ea proponuntur: 1° qui eam habuerit eundem fuisse, qui populi scitum supra dictum rogasset (24); 2° legatos Philippi populi scito eis recitato profectos esse nullo dato responso (20); 3° eundem qui populi scitum rogasset, legatum ad Philippum

1) Huc spectant Demosthenis verba (de fals. leg. 18) „νῦν δ' ὅ,τι μὴ καθ' ἡμέραν ὑμᾶς ἐνοχλῇ καὶ παρὸν λυπῇ παρορᾶτε, εἶτα τὴν ἄλλως ἐνταῦθα ψηφίζεσθε ..... ἐπανορθώσασθαι τὴν εἰρήνην". — De Pythone legato vide apud Demosth. de cor. 136.

missum esse (2); 4° hunc in ea legatione Philippum refellisse quod Athenienses decipere conaretur (83, nam verba *ἐξήλεγχον τὸν Φίλιππον, ὅτι ἐξηπάτα καὶ οὐκ ἐπανορθώσασθαι ἐβούλετο τὴν εἰρήνην* non possunt spectare ad rogationem, quippe in qua per se spectata, nihil tale insit, sed referenda sunt ad colloquium quod legatus cum Philippo habuerit); 5° epistolam Philippi, propter quam nostra oratio habita sit, non tantum pertinuisse ad populi scitum, sed etiam ad illud colloquium (19 „*ὥστε τοῦτο μὲν οὐ κατ' ἐμοῦ ἀλλὰ καθ' ὑμῶν ἐπέσταλκεν*", unde sequitur ut in epistola alia fuerint, quae spectarent ad legati dicta). His autem reputatis et comparatis cum Philippi in epistola verbis „*Ἀμφίπολιν ἑαυτοῦ εἶναι*", necesse est inde efficias, Pythone in Macedoniam regresso, cum Philippi responsum frustra expectaretur, ad id petendum eum missum esse qui populi scitum rogavisset, hunc vero a Philippo rogatum quid sibi vellet illa correctio „*ἑκατέρους ἔχειν τὰ ἑαυτῶν*", respondisse: quod quis nullo iure haberet, non ipsius esse; et rogatum, quo hoc pertineret, dixisse, primo quidem loco pertinere ad Amphipolin. Hoc eo redit, quod in posteriore epistola Philippus scripsit, oratores ad eam audaciam progredi, ut de Amphipoli secum litigent; et optime convenit id quod Demosthenes significat (de fals. leg. 331) Hegesippum legatum a rege male acceptum esse. „At", inquit Beloch [1]) „ipsa illa posterior regis epistola, quae fertur, spuria est". Praefracte hoc negare nolim equidem. Sed qui eam componeret scientissimum fuisse rerum de quibus ageret ipse Beloch concessit, teste eo passim usus [2]). Maximum autem est hoc, si et Philippi epistola et oratio nostra spuria sit, prorsus mirificum esse eorum de Amphipoli consensum, cum contra, si illa spuria sit, inter documenta quibus auctor uteretur, etiam haec fuisse

1) l.l. p. 552 in ann. 1.
2) l.l. in annotationibus ad pp. 545—551.

possit. Neque ullo modo mirum, quando emendaturi quidem essent Athenienses — quod ita esse constat e Demosthene (de fals. leg. 331) — pacis Philocrateae conditionem, disceptatum quoque esse — quamvis id esset praeposterum — de Amphipoli, quam iam plus quindecim annos possideret Philippus, quam iam ante quatuor annos Atheniensium legatis tum temporis pacem praeparaturis neque velle se neque posse reddere demonstrasset. Nimirum hoc popularium eius aetatis oratorum χαρακτηριστικόν est — quod nemo melius quam ipse Beloch perspexit — nihil agere pro re et tempore, ne flocci quidem facere quidquid ipsis invitis unquam convenisset. Sic Demosthenes, ut alio exemplo utar, quamvis a pace Philocratea Phocenses excludi sivissent Athenienses, neque illorum nomen in pila pro pacis monumento extructa incisum esset, tamen, quod a Philippo coacti essent cives sui, post pacem factam non dubitavit eos monere ut Phocenses ab illo defenderent [1]). Sic Athenienses, quamvis populi scito Cardianos e sua dicione exemissent [2]), tamen aliquot annis post eorum agrum sibi vindicaverunt [3]), quod cum per se constet a suis oratoribus permotos fecisse, convenienter invenimus in oratione nostra oratorem id suadere neque dubitare quin id sibi liceret cum populi scito ipse obstitisset (42 sqq.). Quid? populi scitum quoque suum de pacis Philocrateae conditione emendanda contrarium quidem huius pacis fundamento, at tamen legitimum fuisse contendit, cum scilicet illud pravum fuisset et inutile (24 sq.). At Belochio id ipsum quod noster παράνομον οὐδέν populum se rogasse ait, argumento est, eum nescire legem distinguere a populi scito. Hoc vero nihil esse puto.

---

1) Vide Mnemosynen 1908 p. 91. sqq.

2) Dem. contra Aristocr. 181, Diod. XVI. 34 (de quo loco vide Schaefer v. d. Dem. u. S. Z. I² p. 445 in ann.).

3) Libanius in Argum. Dem. or. περὶ τῶν ἐν Χερρονν. 2.

Si dixisset noster se nihil rogavisse qua propter γραφὴν παρανόμων sibi intendi posset, recte eum vituperaret Beloch, nam γραφῇ παρανόμων obnoxius esse nequit is, qui populi scitum fert priori alicui populi scito contrarium. Sed παράνομον οὐδὲν ἔγραψα ait, quod nihil vetat sic interpretari: nihil rogavi quod legitimum non esset i. e. nihil iniuste feci [1]).

Redarguimus ea, quibus Beloch ostendere studet orationem nostram spuriam esse, sed forsitan quis praeterea afferat, apud Plutarchum (Dem. 9), Philostratum (vita Apollon. 7. 37, vita Sophocl. 1. 482, Encom. Dem. 32) auctorem Ep. Dem. (II. 10) totidem verbis legi Demosthenem solum respondisse Pythoni [2]), cum eadem re gloriari videatur auctor orationis nostrae (24). At revera his non dicit se respondisse Pythoni, sed tantum hoc perhibet, cum recte se iudice Pytho demonstrasset non audiendos esse eos, qui Philippo maledicerent, neque tamen rogationem ferrent de pace emendanda, cuius rei facultatem rex faceret (22, 23) se tulisse (24). Praeterea autem tenendum est Plutarchum ceteros e nullo alio hausisse fonte nisi Demosthenis verbis memorantis (de cor. 136) se oblocutum esse Pythoni, iniuria tamen inde effici Demosthenem *solum* id egisse.

Vidimus tantum non nominatim contendere auctorem orationis nostrae, se Hegesippum esse; vidimus omnino nihil in hac reperiri cur ei fidem denegemus. Addere licet pauca quibus fides augeatur et confirmetur. Et primum quidem ita indicat magis quam ostendit singula ad quae sua dicta refert, ut non nisi strictim et quasi per transennam illa aspiciamus, quod magis cadere mihi videtur in oratorem ea agentem quae in omnium ore sint, quam in rhetorem argumentum

---

1) Cf. Xen. Hell. III. c. 4 ὡς παράνομα ποιοίη Λύσανδρος τῆς βαριλείας ὀγκηρότερον διάγων.

2) Quod vidit Schaef. 379 in ann. 1 s. f.

orationis confingentem; tum incomptis quibusdam indulget facetiis, quales potius scurris subeunt, quam lucernam olent. Cuius generis sunt, quae leguntur 28, 32, 34, 35, 38 et imprimis (45) hoc: *προσήκει αὐτοὺς ὑΦ' ὑμῶν κακῶς ἀπολωλέναι, εἴπερ ὑμεῖς τὸν ἐγκέΦαλον ἐν τοῖς κροταΦοῖς καὶ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον Φορεῖτε.*

Habes Vir Honoratissime partem meam muneris, quod Tibi amici Tui parant. Levissimam sane. Verum in actionibus spectandum non est quid fiat, sed quo animo fiat.

AD NOVUM TESTAMENTUM OBSERVATIONES DUAE.

Ad Novum Testamentum observationes duae.

SCRIPSIT

A. VAN VELDHUIZEN.

Ad Marc. 9 : 50.

Prior huius versus pars cum locis parallelis Mtth. 5 : 13, Lc. 14 : 34 — quibus locis Tu ipse, vir clarissime, sagaciter vidisti salem μωρανθῆναι non posse, sed μαρανθῆναι (Mnem. 1881, p. 275) — satis congruit. Marcus autem solus altera in parte praeceptum addidit: „salem in vobismet ipsi, sed pacem vobiscum invicem habete". Quaenam est causa, cur vox ἅλας, quae in Novo Testamento neutri generis est bisque ea forma in verbis praecedentibus occurrit, tertium scribatur ἅλα, sine littera ς? Marcum orationem sic variasse ut nunc ἅλας nunc ἅλα scriberet, vix putare ausim. Praeterea ἅλα sine damno deesse potest. E contextu de nulla re nisi de sale agi satis superque apparet. Parallelismo antithetico substantivum inepte iteratum nocet. Iesus consilio ei ut in se ipsi salem habeant i. e. sapiant, illud „ne quid nimium" adicit. Videant discipuli ne sal nimis acerbus sodalibus fiat, ne acris veritas paci communi obsit. Bengelius annotat: „Prius officium respectu nostri, alterum erga alios". Prius ἐν ἑαυτοῖς eleganter ἐν ἀλλήλοις sequenti respondet. Post ἑαυτοῖς autem

obiectum indicari dedecet. Iam bis ἅλας, semel αὐτό praecessit. Mihi igitur istud ἅλα spurium esse constat. Sed unde in libros irrepsit? Responsum praesto esse videtur. Altera pars sententiae habet vim adversativam. Concedo certe hanc vim iam in sola particula καί inesse posse, ut loci Mc. 7:24, 12:12 docent. Sed ἀλλά quam καί legere malimus. Quidni coniuncta ἀλλὰ καί? Haec duo saepius coeunt. Cf. Lc. 12:7, 16:21, 24:22. Non iam quaerendae hae particulae. Immo adsunt! In ἅλα latet ἀλλά. Librarius quidam infelici manu obiectum addere conatus est. Pro ΑΛΛΑ, una tantummodo littera omissa, ΑΛΑ scripsit. Si legimus ἔχετε (sc. αὐτὸ) ἐν ἑαυτοῖς, ἀλλὰ καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις rem expeditam habemus.

Ad Apocalyps. 9:11.

Lippis ac tonsoribus notum esse arbitror Apocalypsin, quae dicitur Ioannis, soloecismis scatere. Auctor bellum perenne adversus nominum casus gerebat nec victor abibat. Non tamen semper falsus est. In mea N. T. grammatica (Taaleigen des N. T. p. 109 s.) in verbis ὄνομα ἔχει Ἀπολλύων nominativum casum accusativo cedere non debere indicavi. Nam verba λαμβάνειν et ἔχειν passiva mera verbi διδόναι habenda sunt. Itaque ὄνομα ἔχω est passivum nominis dandi. Idem est atque ἀκούω, χρηματίζω, καλοῦμαι, ὀνομάζομαι. Quis indigne feret, si dixerimus Ἀπολλύων ὠνόμασται? Ad ea, quae l.l. de hac re scripsi, exemplum e lingua Latina desumtum adicere libet. In Ovidii Metam. I, 169 prorsus similiter res sese habet. Ibi „*lactea* nomen habet" legimus. Nec quisquam, opinor, „*lacteam*" legamus suadebit.

OBSERVATIONES CRITICAE.

Observationes criticae.

VIRO OMNI LAVDE CVMVLATO

SAMVELI ADRIANO NABER

PHILOLOGO PRIMARIO

INGENII SOLLERTIA MVLTIPLICI VARIAQVE DOCTRINA NEC NON LATINAE ORATIONIS ELEGANTIA CONSPICVO INTER PAVCOS

IN VIRIDI SENECTVTE ΠΟΝΟΥ ΟΤΙΟΤΕ ΛΗΓΟΝΤΙ

NATALEM OCTOGESIMVM LAETE CELEBRANTI

S. Q. P. D.

IOANNES CHRISTOPHORVS VOLLGRAFF.

I. Herodoti L. VIII c. 86 in nobilissimo loco de classe Persarum apud Salamina devicta libri nostri exhibent:

τὸ δὲ πλῆθος τῶν νεῶν ἐν τῇ Σαλαμῖνι ἐκεραΐζετο ..... ἅτε γὰρ τῶν μὲν Ἑλλήνων σὺν κόσμῳ ναυμαχεόντων κατὰ τάξιν, τῶν δὲ βαρβάρων οὔτε τεταγμένων ἔτι οὔτε σὺν νόῳ ποιεόντων οὐδέν, ἔμελλε τοιοῦτό σφι συνοίσεσθαι οἷόνπερ ἀπέβη. καίτοι ἦσάν γε * καὶ ἐγένοντο ταύτην τὴν ἡμέρην μακρῷ ἀμείνονες αὐτοὶ ἑωυτῶν ἢ πρὸς Εὐβοίῃ, πᾶς τις προθυμεόμενος καὶ δειμαίνων Ξέρξην κτέ.

Asterisco significavi lacunam in qua neminem dum offendisse satis mirari non possum. Neque de Nilo, ut hoc utar, facile scriptum invenias ὅτι ἦν καὶ ἐγένετο τοῦ θέρους αὐτὸς ἑαυτοῦ μείζων neque de strenuis bellatoribus quisquam umquam scribere potuit ὅτι ἦσαν καὶ ταύτην τὴν ἡμέραν ἐγένοντο αὐτοὶ

ἑαυτῶν ἀμείνονες. Inserendum est sine controversia aut ἦσάν γε ⟨ἀγαθοὶ⟩ aut, si mavis, ⟨ἄνδρες ἀγαθοὶ⟩, quoniam utrumque et graecum et Herodoteum est. De sententia autem nulla potest esse dubitatio.

Persae omnium scriptorum consensu fortes erant perque totum illud bellum virtute excelluerant; in certamine Salaminio vero etiam magis quam ad Euboeam solito longe fortiores sese praestiterunt.

II. Nec minus est mihi de mendo suspectum quod L. I c. 31 m. apud eundem narrat Solon de Cleobi et Bitone:

ἔδεε πάντως τὴν μητέρα αὐτῶν ζεύγεϊ κομισθῆναι ἐς τὸ ἱρόν. οἱ δέ σφι βόες ἐκ τοῦ ἀγροῦ οὐ παρεγίνοντο ἐν ὥρῃ· ἐκκλῃόμενοι δὲ τῇ ὥρῃ οἱ νεηνίαι ὑποδύντες αὐτοὶ ὑπὸ τὴν ζεύγλην εἷλκον τὴν ἅμαξαν κτέ.

Primum enim vv. ista ἐκκλῃόμενοι δὲ τῇ ὥρῃ quam inelegante et sine ulla necessitate antecedentibus παρεγίνοντο ἐν ὥρῃ adiecta sunt quamque ingratum post ὥρῃ alterum istud ὥρῃ accedit ad aures in proxima vicinia sensu plane diverso usurpatum! (*boves non aderant in tempore: itaque iuvenes tempore* — licetne interpretari: *temporis brevitate? — impediti ipsi plaustrum traxerunt*); tum vehementer vereor ut ἐκκλῃῖεσθαι τῇ ὥρῃ pro *temporis angustiis prohiberi* bene graecum sit. Adde quod ne verum quidem est quod nunc scriptum extat: scilicet *nondum* sero erat: videmus Cleobin et Bitonem quominus matrem ad tempus ad fanum Iunonis pervexerint temporis angustiis neutiquam prohibitos fuisse. Aliquanto rectius certe Plutarchus Mor. 109 A substituit: τῆς ὥρας ἐπειγούσης, *tempore urgente*. Nuper autem relegens Ciceronis *Tusculanas Disputationes*, cum inciderem in L. I § 113, suspicio mihi nata est in narratione Herodotea in archetypo corroso intercidisse nonnulla, deinde, ut fit, correctorem locum mu-

tilum, ut commodissime potuerit, ex ingenio restituisse [1]).

Etsi luculenter apparet Ciceronem non Herodotum potissimum ante oculos habuisse, — matrem deae sacerdotem fuisse, ut hoc utar, a patre historiae ne commemoratur quidem, alia contra memorare omittit Cicero, — vide tamen ne operae pretium sit Herodoti verba cum loco Tulliano componere. Haud aegre, nisi fallor, tibi persuadebis tam graecum quam romanum scriptorem de Solone et Croeso pro proposito satis habuisse summatim dumtaxat referre τὰ θρυλούμενα [2]): antiquam fabulam in vulgus notam, quales multas uberius enarratas et Herodotus e. g. reperire potuerit ἐν ταῖς τοῦ Δελφικοῦ μαντείου ὑπομνήμασιν et Cicero apud Ephorum.

Herodotus tradit utrumque fratrem inusitatis corporis viribus insignem fuisse: ἀεθλοφόροι τε ἀμφότεροι ὁμοίως ἦσαν: ambo in ludis gymnicis praemia reportaverant: athletae igitur erant in palaestra exercitati. In quos quid melius quadrat quam id quod legitur apud solum Ciceronem: „*tum iuvenes*... VESTE POSITA CORPORA OLEO PERVNXERVNT, ad *iugum accesserunt*"? Rogatum te velim, venerande collega, num verisimile sit scriptorem romanum, qui de iuvenum robore corporis deque praemiis reportatis ne verbum quidem fecerit, illa sine auctore de suo finxisse?

Herodotus sane, ut nihil ad sententiae integritatem desideraretur, simpliciter breviterque dare potuit: οἱ δέ σφι βόες... οὐ παρεγίνοντο ἐν ὥρῃ, οἱ δὲ νεηνίαι ὑποδύντες αὐτοὶ κτἑ. Sed enim ipsa corruptela, quam indicavimus, documento est eum aliud quoddam subiunxisse nec facile aptius quidquam excogitare

---

1) In Codice Florentino d (Stein) paulo inferius c. 32 § 12 simile quid factum videmus. Ubi cum in charta detrita vv. τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε καὶ ταραχώδες evanuissent, supervenit qui amissa suo Marte sic sarcire conatus sit: τὸ ἀνθρώπινον πᾶν οὐδαμᾶ ἐν τωὐτῷ μένον.

2) Cf. Diog. Laert. 1. 2, 4.

queas quam id ipsum quod habent Tusculanae. Quapropter probabiliter saltem — nam certa arte talia ita reciperari non possunt ut non sint dubia complementa — supplere possis: ⟨θέντες δὲ τὰ εἵματα καὶ ἐλαίῳ χρισά⟩MENOI vel EK⟨δεδυκότες δὲ καὶ ἀληλιμ⟩MENOI οἱ νεηνίαι, quemadmodum in certamen descendere solebant athletae, nisi quis forte praetulerit etiam magis ad ductum literarum EK ... ΚΛΕΟΜΕΝΟΙ: EK⟨δεδυκότες δὲ καὶ⟩ ἠλαιωμένοι reponere. Certis enim testimoniis constat, nec hercle mirum, praeter τὸ ἀλείφεσθαι et τὸ ἐλαίῳ χρίεσθαι etiam τὸ ἐλαιοῦσθαι de corporis inunctione λέξιν γυμναστικὴν fuisse. Cf. PINDARI fr. 305 (Schroeder): EUSTATH. Il. Ξ 975. 48.

III. Cui nostrum, quotquot COBETI discipuli fuisse gloriamur magistri incomparabilis, non cum grata recordatione in mente versatur Bibliotheca Lugduno-Batava horaeque illae pomeridianae quas diebus Veneris atque Saturni potissimum tironum exercitationibus palaeographicis dicabat ille vetustisque membranis cum pulvisculo excutiendis? Memini e. g. virum celeberrimum aliquando permulta disserere nosque hilare et iocose ut solebat ad disputandum elicere de substantivorum quorumdam abbreviationibus iam in antiquissimis libris solemnibus, ut $\overline{\text{KC}}$ pro κύριος, $\overline{\text{ΠΗΡ}}$ = πατὴρ, $\overline{\text{ΜΗΡ}}$ = μήτηρ sim. deque erroribus ortis ex earum confusione. Scribarum socordia haud ita raro ipsum deum in pronomen relativum, pronomen in deum immortalem mutatum esse demonstrabat, filios familias frugi et abstinentes sues evasisse, homines sapientes modo in dementes, modo in coelicolas, in asinos, in flores in quid non vertisse et vicissim. Quod idem argumentum, in quo sibi placebat quodammodo, et in Mnemosyne sua cum cura tractavit et imprimis ἐν τοῖς Διορθωτικοῖς εἰς τὰ τοῦ Κλήμεντος τοῦ Ἀλεξανδρέως (Λογ. Ἑρμ. p. 221) unde OTTO STAEHLIN, novissimus

Clementis editor, complures emendationes palmares recepit in ordinem. Ipsius Staehlinii nuper egregiam huius generis emendationem admiratus sum *Protrept.* C. VIII. p. 69 P. s. f. ubi optimus codex Parisinus habet: ἐλευθερίαν ἐπαγγέλλεται (ὁ κύριος), ὑμεῖς δὲ εἰς δουλείαν ἀποδιδράσκετε. σωτηρίαν χαρίζεται, ὑμεῖς δὲ εἰς ἄνθρωπον (ANON) ὑποφέρεσθε. Staehlin acute vidit verum esse: εἰς θάνατον.

Ecce autem alium eiusdem scriptoris locum ad hunc usque diem consimili, si quid video, vitio laborantem:

Paedag. I p. 117 P. s. f.

(νήπιοι) ἄρα εἰκότως οἱ παῖδες τοῦ θεοῦ οἱ τὸν μὲν παλαιὸν ἀποθέμενοι ἄνθρωπον καὶ τῆς κακίας ἐκδυσάμενοι τὸν χιτῶνα, ἐπενδυσάμενοι δὲ τὴν ἀφθαρσίαν τοῦ Χριστοῦ, ἵνα καινοὶ γενόμενοι, λαὸς ἅγιος, ἀναγεννηθέντες ἀμίαντον φυλάξωμεν τὸν ἄνθρωπον (ANON) καὶ νήπιοι ὦμεν ὡς βρέφος τοῦ θεοῦ κτέ.

Quid sit in S. Pauli Epistolis *veterem hominem exuere, novum induere* nemo Christianus non intellegit. Verum quid censes? num homines etiam adhortari potest aut presbyter Alexandrinus aut quisquam alius ut immaculatum servent *hominem*? imo ut *animum* integrum, ut *mentem* puram conservent. Quamobrem reponere tibi commendo τὸν NOΥN, nam ita loqui scriptores sacros et Clementis aequales — νοῦς νοὸς νοΐ νοῦν (non νόα) — te de Novo Foedere emendando quoque optime meritum nihil opus est docere.

IV. Dionys. Halic. *de Comp. Verbb.* III § 13 miror Usenerum et Rademacherum edidisse:

ἔστι δὴ παρ' Ὁμήρῳ μὲν ὁ παρὰ τῷ συβώτῃ καταγόμενος Ὀδυσσεὺς περὶ τὴν ἑωθινὴν ὥραν ἀκρατίζεσθαι μέλλων, ὡς τοῖς παλαιοῖς ἔθος ἦν· ἔπειτα ὁ Τηλέμαχος αὐτοῖς ἐπιφαινόμενος ἐκ τῆς εἰς Πελοπόννησον ἀποδημίας· πραγμάτι' ἄττα βιωτικὰ ἡρμηνευμένα ὑπέρευ.

Bonus codex P (Parisinus) exhibet πραγμάτια λιτὰ καὶ β.; alius liber (Florentinus) habet πραγμάτια ἄττα β.; alius recentior (Marcianus Venetus) πραγματιάττα (sic) λιτὰ καὶ β. Longe praestat profecto lectio cod. P, siquidem de rebus tam diserte designatis pronomini indefinito nullus locus est. Praeterea manifesto corruptum est βιωτικὰ pro ἰδιωτικά, quae vox cum λιτὰ bene congruit saepeque coniungitur. Vitium natum esse suspicor ἐκ τῆς κοινοῦ διαλέκτου exque pravo seriorum usu dicendi. In Pauli primae Ep. ad Corinthios c. VI vs. 3 seq. τὰ βιωτικὰ sunt *res ad hanc vitam terrestrem* tantum *pertinentes* spernendae prae coelestibus: οὐκ οἴδατε ὅτι ἀγγέλους κρινοῦμεν, μήτιγε βιωτικά; βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια ἐὰν ἔχητε κτἑ. Atque monachis Byzantinis frequenter in ore erant οἱ βιωτικοί, quo nomine non sine contemtu τοῖς μοναστα῀ς καὶ ται῀ς μοναστρίαις opponere solebant saeculares homines, τοὺς λαϊκούς: optime graece dixeris: τοὺς ἰδιώτας. Cf. Bingham 1. 5. 5.

V. Pausaniae L. X c. 20 § 4 seq. ubi comparatio instituitur inter copias Graecorum quae ad Thermopylas regi Persarum restiterunt et exercitum CC fere annis post contra Gallos collectum [1]), Schubartius apposite supplevit:

Αἰτωλῶν δὲ πλείστη τε ἐγένετο στρατιὰ καὶ ἐς πᾶσαν μάχης ἰδέαν, ἡ μὲν ἵππος οὐ λέγουσιν ὁπόση, ψιλοὶ δὲ ἐνενήκοντα καὶ ⟨ἑπτακόσιοι, πλέονες δὲ⟩ ἑπτακισχιλίων ἀριθμὸν ἦσαν οἱ ὁπλιτεύοντες.

Etiamnunc in Periegeta post tot dd. vv. curas cum aliae lacunae bene multae manum emendatricem expectant tum identidem a scribis erratum est in numeralibus. Veluti etiam § 5 in continuo sequentibus:

---

1) Πάρεστι δέ, ὅστις ἐθέλοι, καὶ ἀνταριθμῆσαι τούς τε ἐπὶ βασιλέα Ξέρξην εἰς Πύλας καὶ τοὺς τότε ἐναντία Γαλατῶν ἀθροισθέντας.

Ἀθηναίων δὲ στρατηγὸς μὲν Κάλλιππος ἦν ..... δύναμις δὲ τριήρεις ΤϵΤ[1]) πλώιμοι πᾶσαι, πεντακόσιοι δὲ ἐς τὸ ἱππικόν, χίλιοι δὲ ἐτάσσοντο ἐν τοῖς πεζοῖς·

quo loco omnium quot sciam editorum sagacitatem fugisse videtur voculam τε post τριήρεις prorsus otiosam esse nec ullo modo defendi posse. Rescribe sis: τριήρεις ΙΕ i. e. πεντεκαίδεκα. Librario parum hoc agenti quam facile accidere poterat ut ΙΕ cum τε confunderet! Ceterum multa in talibus circumspicienda esse docet Odofredi Muelleri de aetate sculptoris Onatae error manifestus. Scilicet Pausaniae L. VIII c. 42 § 7 codd. habent haecce: (ὁ Ὀνάτας) ἐποίησε χαλκοῦν Φιγαλεῦσιν ἄγαλμα, γενεαῖς μάλιστα ὕστερον τῆς ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἐπιστρατείας τοῦ Μήδου. Muellerus *de arte Aeginetica* p. 12, quem temere sequitur Spiro, rationibus palaeographicis innisus utique supplendum esse censet: γενεαῖς μάλιστα ⟨ΔΥCIN⟩ ὕστερον „quod per literas expressum facillime post sequens ΤCΤ eliminari poterat". At ipsa Pausaniae computatio, ut facile videre est, manu ducit ad Ludovici Dindorfii correctionem γενεᾷ.

VI. Platonis *Reip.* L. II p. 373 in.

Meretriculae, pestis ac pernicies iuventutis, quas omnino ex omni republica exturbare oportebat, nulla certe ratione me iudice retinendae sunt in republica Platonis, ubi tradita lectio haec est:

ταῦτα γὰρ δή τισιν, ὡς δοκεῖ, οὐκ ἐξαρκέσει, οὐδ' αὕτη ἡ δίαιτα, ἀλλὰ κλῖναί τε προσέσονται καὶ τράπεζαι καὶ τἆλλα σκεύη, καὶ ὄψα δὴ καὶ μύρα καὶ θυμιάματα καὶ ἑταῖραι καὶ πέμματα, ἕκαστα τούτων παντοδαπά.

---

1) Ante πλώιμοι e codicibus quibusdam recentioribus vulgo inseritur <αἱ>, quae Graeculi alicuius correctiuncula esse videtur.

Grata neglegentia scriptor res genere diversissimas permixte enumerat nimirum. Quamquam inter suffimenta et cupedias num ullus locus est *scortis*? num forte ista quoque ut reliqua „varia" (παντοδαπά)? En *des mots bien étonnés de se trouver ensemble*, ut lepide poeta Gallicus. Vocabulum autem quod est ἑταῖραι a contextu abhorrere et alii animadverterunt et G. W. Nitzschius, verum quod legere proposuit ille: ἀθῆραι, id nemini facile eum persuasisse puto. Quis enim Athenis natus pro ἀθάρη dicebat ἀθήρα? Accedit quod pultes pristinae illi vitae simplicitati ab esu carnium alienae potius (cf. p. 372) quam τρυφώσης πόλεως luxuriae conveniunt. Quae si recte disputata sunt, age denuo indagemus quid Platonem dedisse consentaneum sit.

Civitatis conditoribus, viris antiquis admirandae frugalitatis, *vegetariorum* nostrorum instar degentibus opponuntur posteri laute viventes, nihil boni sibi denegantes, quibus iam multa alia opus erant minime necessaria: coquorum pistorumque imprimis indigebant: ἔτι δὲ καὶ συβωτῶν προσδεησόμεθα. τοῦτο γὰρ ἡμῖν ἐν τῇ προτέρᾳ πόλει οὐκ ἐνῆν. ἔδει γὰρ οὐδέν· ἐν δὲ ταύτῃ καὶ τούτου προσδεήσει. δεήσει δὲ καὶ τῶν ἄλλων βοσκημάτων παμπόλλων, εἴ τις αὐτὰ ἔδεται. Horum ad convivia cum nullo modo deesse posset πιόνων ἱερείων ἀφθονία, qualia Xenophontem v. c. semel atque iterum idque primo loco enumerare memini inter πάντα τὰ ἐπιτήδεια ὅσα ἐστὶν ἀγαθά, equidem, si per te licet, pravas istas mulierculas, non quidem pro meritis in sues, sed in ἱερεῖα mutaverim.

Macte esto virtute: fac valere pergas ut vales, aestumatissime Naber! Quod si D. O. M. mentem tam sanam in tam sano corpore tibi conservabit, magna me spes tenet fore ut post tres quatuorve annos hilare nobis tecum celebrare liceat Mnemosynes tuae natalicia sexagesima.

AD THUCYDIDEM ET HERODOTUM OBSERVATIONES DUAE.

Ad Thucydidem et Herodotum observationes duae.

SCRIPSIT

C. GUL. VOLLGRAFF.

I. *Thucydides* V, 53 narrat quamnam causam Argivi praetexuerint, cur aestate anni 419 vicinis Epidauriis bellum inferrent: scilicet quod illi victimam Apollini τῷ Πυθαεῖ, magno Argivorum numini, certis temporibus debitam mittere destitissent. Inest autem in hoc loco vox quaedam a viris doctis, nisi fallor, minus bene intellecta.

Ecce scriptoris verba: τοῦ δ' αὐτοῦ θέρους Ἐπιδαυρίοις καὶ Ἀργείοις πόλεμος ἐγένετο, προφάσει μὲν περὶ τοῦ θύματος τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πυθ[α]έως, ὃ δέον ἀπαγαγεῖν οὐκ ἀπέπεμπον ὑπὲρ βοταμίων Ἐπιδαύριοι (κυριώτατοι δὲ τοῦ ἱεροῦ ἦσαν Ἀργεῖοι) κτλ.

Quodsi quaeris quid sint βοτάμια, iam in veteribus commentariis nonnullis adnotatum reperies hoc vocabulo pascua significari vel potius pecuniam pro pascuis datam eademque interpretatio, quamquam nulla auctoritate nititur sensumque praebet sane quam absurdum, hodieque in calce editionis Classenianae repetita est inque cunctis quot sciam lexicis recurrit. Nec meliora me iudice docuit aut olim Wesseling ad Diod. Sic. XII, 78 ὑπὲρ παραποταμίων praeferendum esse ratus (quae unius tantum libri MS e deterioribus lectio est) aut nostra memoria Stahl, quem temere sequitur Hudius, suo

arbitratu βοταμίων in βοτανῶν refingens. Si me audis, pro certo definire quam vim habeat vox illa βοτάμια non admodum difficile est. Quid sit βοῦς, quid τέμνειν, vel pueris notum est. Verbum τέμνειν (cf. v. c. Homericum ὅρκια τάμνειν), ut et κόπτειν, inde ab antiquissimis temporibus sollemne fuisse constat in sacrificiis. Luce igitur clarius est βοτάμια in hoc quidem orationis contextu nihil aliud significare posse nisi boum in sacrificio immolationem. Ceterum cum loco nostro utiliter componi possunt inscriptiones aliquot Rhodiae (Inscr. Graec., XII, 791—796, 798, 801, 804), in quibus festum quoddam urbis Lindi nomine plane gemello vocatur βοκόπια. Cf. Herwerdeni supplementa ad lexica graeca.

Luculenter patet e verbis Thucydideis olim Epidauriis imperatum fuisse ut certis temporibus ad βουθυσίαν quandam, quae Argi fieri solebat in honorem Apollinis Pythii, victimam mitterent, qualem et alias civitates Argivorum ditioni priscis illis temporibus subditas misisse consentaneum est.

II. *Herodotus* IX, 93 de Apollonia urbe prope oram Epiri maritimam sita haec habet: ἔστι ἐν τῇ Ἀπολλωνίῃ ταύτῃ ἱρὰ Ἡλίου πρόβατα, τὰ τὰς μὲν ἡμέρας βόσκεται παρὰ ποταμόν, ὃς ἐκ Λάκμονος ὄρεος ῥέει διὰ τῆς Ἀπολλωνίης χώρης ἐς θάλασσαν παρ' Ὤρικον λιμένα κτλ. Fluminis de quo hic agitur nomen excidisse fugit neminem, ut opinor. Cum autem apud Theognostum Canon. 794 (Crameri Anecd. Oxon. II) haec legantur: Χὼν Χωνὸς ὄνομα ποταμοῦ, ἐξ οὗ καὶ ἡ Ἤπειρος Χωνία, παρὰ Ἡροδότῳ, Chonis vero fluminis nomen nusquam apud Herodotum compareat, Steinius hanc ἀπορίαν solvere conatus est rescribendo: παρὰ Χῶνα ποταμόν. Quae coniectura licet multorum horum rerum iudicum assensum tulerit inque ordinem recepta sit, equidem magnopere vereor ne falsa sit. Quid enim? Flumen, cui nomen fuerit Chon vel Chaon, a quo Chaonia

pars Epiri nomen suum traxerit, geographis prorsus ignotum est; contra nobilissimus amnis, qui e Lacmo oriens Apolloniam praeterfluebat, Graecis audiebat Aous. Iam de Aoo rerum scriptorem hic verba facere probe intellexerunt quidem et Rawlinsonius in commentariis suis et Buerchnerus in encyclopaedia, quam parat Wissowa, s. v. Chon, sed neuter tamen ausus est loco Herodoteo facillimam quam requirit medelam adferre. Iure sane quaerat quispiam, e quo tandem fonte fluxerit id quod nunc scriptum extat apud Theognostum. Puto ex hoc ipso loco Herodoti male habito; vocem enim Ἄωον, quae in nostris codicibus intercidit, antiquitus suspicor primum in Χῶον, deinde in Χῶνα abiisse. Utut est, Herodoto utique reddendum videtur quod procul dubio ipse dederat: *παρὰ Ἄωον ποταμόν*.

Eadem opera etiam aliam Steinii coniecturam notare iuvat, qua eundem locum deformavit. Cum enim Herodotus tradidisset Aoum fluere *διὰ τῆς Ἀπολλωνίης χώρης*, Steinius ultimo vocabulo tamquam spurio sublato scriptorem amnem per mediam urbem fluere dicentem facit. Perperam. Strabo enim VII, 5, 8 diserte testatur Aoum satis magno intervallo Apolloniam praeterfluxisse: *... εἶθ' ὁ Ἄψος ποταμὸς καὶ ὁ Ἄωος, ἐφ' ᾧ Ἀπολλωνία πόλις εὐνομωτάτη ... τοῦ ποταμοῦ μὲν ἀπέχουσα σταδίους δέκα κτλ.* Optime igitur inter se concinunt Strabonis et Herodoti verba; quibus si credis, fac Steinio fidem deneges.

DE OCTAVIA PRAETEXTA.

De Octavia praetexta.

SCRIPSIT

J. VÜRTHEIM.

Relegebam, Vir Clarissime, iucundum illud Ciceronis opusculum de Senectute, quod quo maior annorum increscit numerus, eo magis nobis omnibus placet. Adveneram ad verba Tibi notissima, quibus Cato recordatur Quintum Maximum, quem senem ita ut aequalem dilexerat adulescens: „Erat enim in illo viro comitate condita gravitas. Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. Qui sermo! Quae praecepta! Quanta notitia antiquitatis! Omnia memoria tenebat non domestica solum, sed etiam externa."

Tum — ignoscas palam confitenti — ante oculos mihi surrexit imago placidae Tuae lenisque senectutis post vitam quiete et pure et eleganter actam. Neque dubitavi, quin et Tu ut Gorgias quaerenti, cur tamdiu in vita esse velis, responsurus esses: „nihil habeo quod accusem senectutem."

Quae utinam diutius remaneat Tibi, ut nunc est: *εὐδαίμων καὶ τοῦ τρόπου καὶ τῶν λόγων*!

„De Octaviae tempore quod Bücheler in Coniectaneis statuit *ante Tacitum* scriptam esse fabulam certissimis argumentis

comprobaverunt Ladeck, Nordmeyer. Certum hoc unum post Senecae obitum ante Tacitum scriptam esse praetextam; certiora sequi lubricum, velut perquam dubia est A. Gerckii de Plinio coniectura."

Ita G. Richterus in Senecae tragoediarum recensione p. 395. Ladeckius Octaviam conscriptam esse primis Flaviorum temporibus, Nordmeyer decem minimum annis post annum trium imperatorum defenderunt.

Singula horum virorum argumenta exscribere, examinare, probare vel improbare, a proposito nostro est alienum. Nam licet nobis constet non parvos fructus inde capi posse, magis e re videtur ipsis versibus, qui lucem afferre possunt, laudandis atque comparandis sic ad opinionem nostram commodam aliquam viam sternere aliis.

I. Scriptam esse praetextam post Romae incendium, i. e. post annum 64^{m}, apparet e versibus, quibus Nero ira incensus populo Octaviam dimissam ut reducat flagitanti sic minatur (vss. 831—833):

> mox tecta flammis concidant urbis meis,
> ignes ruinae noxium populum premant
> turpisque egestas, saeva cum luctu fames.

Dimissa autem est Octavia anno 62°. Num verisimile videtur imperatorem duobus demum post uxorem repudiatam annis iram suam in plebem exercuisse? Non opinor. Duo igitur facta satis longo intervallo dirempta neque ulla ratione inter se coniuncta tragicus ita dextre copulavit, ut, si revera connexa fuissent, nemo nostrum miraretur. Ecquis est, qui putet auctorem haec probabilia reddere potuisse legentibus vel spectatoribus, qui ipsis Neronis facinoribus interfuissent? Nonne melius talia probari poterant, cum rerum historicarum per annos digestarum ordo perpaucis in capitibus etiam vivebat atque vigebat?

II. Mortuum autem fuisse tyrannum cum in lucem emittebatur fabula, quid mirum? Quin indicatur mors ipsa versibus, quales sunt (620 sqq.):

ultrix Erinys impio dignum parat
letum tyranno, verbera et turpem fugam ....
veniet dies tempusque, quo reddat suis
animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus
desertus ac destructus et cunctis egens. (cf. Plut. Galb. 7)

vel quales sunt:

forsitan vindex deus
existet aliquis, laetus et veniet dies;

ubi alluditur ad eum, qui primus Neronem impulit: nempe ad Vindicem (cf. Dio 63, 22, 1; Plut. Galb. 4).

Hinc simul apparet Senecae hanc tragoediam non esse tribuendam; quod ceteroquin ex ipsa dictione iam effici poterat. Nam imitatorem prodit iusto frequentior usus adiectivi „diri", quod Senecae in deliciis fuisse bene observarat. Sed hic largius adhibetur (vss. 92, 182, 227, 235, 369, 512, 622, 660, 671, 856, 861, 878, 951). Desunt quoque chorica illa lugubria sed eadem pulcherrima, quibus Senecae tragoediae ornari solent; ut e Troadibus illud:

verum est an timidos fabula decipit
umbras corporibus vivere conditis? (370 sq.)

vel e Phaedra:

o magna parens, natura, deum (959 sqq.)

quod imitatur auctor noster, sed non in chorico, ubi canit:

o quam iuvabat, quo nihil maius parens
natura genuit, operis immensi artifex (390 sq.).

III. Tale choricum in Octavia frustra quaesieris, quod non prorsus e tragoediae argumento historico explicari potest. Sed quod inest, — quamvis et nos non nisi mussitantes audiamus —, inest descriptio Tigellini morum talibus expressa ver-

sibus, ut appareat auctorem hunc hominem prae Nerone esse innocentem voluisse.

Sufficiat observasse Sofonium ob impudicitiam praetoris cohortibus esse impositum eandemque ob causam apud Neronem fuisse validum (Tac. H. I, 72). „Non alium igitur pertinacius ad poenam flagitaverunt, diverso affectu, quibus odium Neronis inerat et quibus desiderium".

Ecce autem in Octavia hoc scelus procedit plebis contra Neronis crudelitatem defensor, homo misericors nec nisi iussus peccaturus. Audi mitem hominem de seditione compressa referentem:

populi furorem *caede paucorum diu*
qui restiterunt temere, compressum affero;

audi bonum virum Neronis cohibentem iram:

poenam dolor constituet in cives tuos?

audi Octaviae patronum eum agentem, ubi Nero uxorem condemnat:

horrore vinctum trepidus astrinxit rigor.
femina (hostis) nomen capit?
Quis regere dementes (i. e. populum) valet? Haud quemquam reor!

Hicine est Sofonius ex Iuvenali nobis notus? Credisne Romanos, aequales eius vel aequalium liberos, in scena tulisse tale monstrum εἰς τὸ καλόν depictum? Immo postea venit tempus, quo nullus non vivide narrare poterat de sceleribus Neronis, sed quo Tigellinus in umbra latebat; sicut apud hodiernos homines, cultos quidem sed in Taciteis non versatos, id obtinet. Tunc demum Tigellinus Neronis censor prodire poterat.

IV. Venimus ad Poppaeam, Neronis *sanctam* coniugem (vs. 841). Quid valeat hoc „sanctam" de mulieribus occupatum, scilicet „castam", docet Tacitus A. IX, 60: „Quendam ex ministris Octaviae impulit servilem ei amorem obicere. Actae

ob id de ancillis quaestiones et vi tormentorum victis quibusdam ut falsa annuerent, plures perstitere *sanctitatem* dominae tueri". Tribuit igitur rerum scriptor sanctitatem, cui oportebat: Octaviae. Poppaeaene quoque? Bona verba! De quanam muliere nisi de hac usus est verbis: „modestiam (callebat) praeferre et lascivia uti"?

Ne mihi obieceris vocabulum *sancti* ore Neronis prolatum valere contrarium; laudetur mihi e praetexta unum vocabulum, quo Poppaeae mores vituperentur. Nullum invenies; immo, non modo pulchritudo Iove digna extollitur, cui cedat Danae, cedat Helena, cum nil unquam illuxerit pulchrius, sed etiam timida est virgo, altera videtur Penelope somniis confusa, pia, lacrimosa. En illa quae famae suae pepercit nunquam!

Tempus, non semper δικαιότατον, ceteris omnibus obvelatis oblivioni solam eripuit Poppaeae pulchritudinis famam. Altera Helena vixit apud posteros; sicut apud hodiernos laudatur formosa illa regina Francorum Maria Antonia, vel misera Maria Stuarta, vel sapiens Christina Sueca. Sed satis ampla annorum serie opus est, ut merae hae laudationes memoriam aequalium vincere possint; primis certe decenniis post heroinarum aetatem non patiuntur talia ἐγκώμια.

V. Cui observationi quaedam sunt addenda. Dimisit Nero uxorem Octaviam ob sterilitatem. Licet aliae eum moverint causae, res ipsa, sterilitas, negari non potest: ὁ χρόνος μεμήνυκεν.

Quid vero in fabula? De sterilitate ne verbum quidem. Immo si Senecam in scena audis, satis fecunda Octavia esse videbatur:

> Implebit aulam stirpe caelesti tuam
> generata divo Claudiae gentis decus (vs. 533 sq.).

Aegre, credo, conatus si esset, spectatoribus Neronis temporum memoribus probasset auctor, divortium ni voluisset im-

perator, futurum fuisse ut stirpe sua aulam impleret Octavia. An forte obliti erant hi homines tot per annos iterum atque iterum, sed frustra, heredem imperii se exspectasse et cupiisse? Sed posteri tot aliis rebus distracti memoria non tenebant. Exempli causa Dio, quo nullus fusius de Neronis rebus domesticis egit, Octaviae sterilitatem pressit silentio. En, iterum apparet sero demum post Neronis mortem praetextam innotuisse.

VI. Accedit quod semel inter legendum admonemur de Taciti Annalibus.

Puta, ubi Agrippinae morientis referuntur verba ultima ad percussorem Anicetum:

hic est, hic est fodiendus ait
ferro monstrum qui tale tulit (vs. 371 sq.),

persentimus imitatorem verbis supervacaneis corrumpentem strenua illa Tacitea: „nam in mortem centurioni ferrum destringenti protendens uterum „ventrem feri" exclamavit." (Tac. Ann. XIV, 9).

Descriptio autem Agrippinae naufragii convenit cum illis, quae serior aetas hac de re narrare solebat. Nam Suetonius, ut Tacitus, loquitur de navi solutili, cuius vel naufragio vel camerae ruina periret Agrippina; Dio autem et Octaviae auctor de camera nil habent: perhibent imperatricem dissoluto navigio in mare se praecipitasse.

VII. Qui nullius auctoritate obstrictus secum perpenderit quae sub I, III, IV, V, VI observavimus, is intelleget fortasse Bücheleri τοῦ μαχαρίτου de tempore, quo praetexta scripta sit, sententiam nobis quidem haud invictam videri. Sed concedimus argumenta nostra non ita firma et dubitationi exempta esse, quamvis iam per se aliquid valeant, ut unumquemque in sententiam nostram perducere possint. Quare in fine ponemus argumentum lectori semel monito manifestum, quo per-

vincamus Octaviam *non ante* sed *post Tacitum* esse editam.

Ann. XIV, 61 legimus: „his ⟨vocibus supervenit inanis rumor⟩ tanquam Nero paenitentia flagitii coniugem revocarit Octaviam. Exim laeti Capitolium scandunt (Romani) deosque tandem venerantur. Effigies Poppaeae proruunt, Octaviae imagines gestant umeris, spargunt floribus foroque ac templis statuunt. *Itur etiam in principis laudes strepitu venerantium;* iamque et Palatium multitudine et clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus et intento ferro turbatos disiecere et Poppaeae honos repositus est. Quae semper odio tum et metu atrox provoluta genibus Neronis . . ." Sequuntur querelae; tum ut Neronem ad vindictam incitet addit mulier callida: „*Arma illa adversus principem sumpta*; ducem tantum defuisse qui motis rebus facile reperiretur".

Impudenter mentitur Poppaea perhibens *plebem, quae cum strepitu venerantium iverat in principis laudes, sumpsisse arma adversus principem.* Intellegit autem tyranni animum sic facillime ad vindicias cruentas compelli posse. Quid igitur magis consentaneum quam Neronem mulieris verbis credidisse, animo ea concepisse, usum eis esse ut vindictam iussam, quasi necessariam, a crimine saevitatis defenderet? Quae Poppaea ei subiecit, pro suis tyrannus proferet; nam nullus de eis dubitat. Hinc intelleguntur quae in praetexta Nero respondet praefecto nuntianti duces motus cecidisse:

Quid illa turba *petere quae flammis meos*
ausa est penates, principi legem dare? (vs. 850 sq.);

hinc, quod proclamat nuntius *iussu tyranni* milites convocans:

sepire flammis principis sedem parant.

Uterque, tam Nero quam nuntius, exprimit quae Poppaea vera in deteriora detorquens imperatori insusurrarat. Sed apud tragicum non audimus, *unde* Nero haec habeat; nam Poppaeam cum Nerone colloquentem in scenam non produxit.

Id fecit Tacitus; quo facto praeparavit — ut ita dicamus — Neronis cum Tigellino colloquium, quale legimus in Octavia. Tragicus autem dextre usus est iis, quae Tacitus sic praepararat. Cur vero tragicus Poppaeam cum Nerone colloquentem in scenam non introduxit? Nempe ut mulieris famae parcens tyrannum omni probro denotaret. Quare qui modo Octaviam legerit, putabit Neronem *sua* proferre; sed qui ante legit Tacitum, is intelleget unde Neronis provenerint verba. Praetexta igitur nititur Annalium libro XIV°. Hunc librum tragicus notum habuit.

Ecquis dubitat? Evolvat Ann. XIV. 63, ubi *Octaviae Pandateriam relegatae* sors comparatur cum Agrippinae Iuliaeque exitu. *Iisdem autem mulieribus laudandis* chorus praetextae *Octaviam Pandateriam proficiscentem* consolari conatur. Ecquis forte credit Tacitum sua a tragico esse mutuatum?

AD SENECAE DIALOGOS.

Ad Senecae dialogos.

SCRIPSIT

J. VAN WAGENINGEN.

Quisquis vel unum folium (e. g. 52^{v}—53, de vita beata XII 5—XV 6) codicis Ambrosiani C 90, qui optimus Senecae dialogorum fons iure putatur, ab Aemilio Chatelanio photographice depictum (CLXVII), cum editione, quam Gertzius recensuit, comparaverit, facile agnoscet, quanta cum cura atque diligentia Hauniensis ille editor munere suo functus sit, sed idem perspiciet, quot vitiis codex, quamvis nitide litteris Beneventanis sive Langobardicis exaratus, passim inquinatus sit, cum librarius, contextum orationis parum intellegens, litteras, quas in exemplari suo invenit, male in singula verba diviserit aut in unum coniunxerit, nec minus vocabula sibi nota pro iis, quae difficulter discernere potuit et enucleare, in textum introduxerit [1]). Iure igitur monet Rossbachius [2]) etiam in editione Gertzii, qui solo Ambrosiano ad textum

---

1) Ut unum exemplum loci egregie a Studemundio et Gertzio emendati afferam, de prov. IV 4, ubi A exhibet: „militares viri gloriantur vulneribus, *laeti fluentem meliori casu sanguinem ostentant*", postrema verba sine dubio dittographia et prava litterarum divisione orta sunt ex: *laeti fluentem e lorica sua sanguinem ostentant*. Frustra traditam tuentur I. Vahlen (Hermes XXX p. 33) et E. Hermes ad h. l.

2) O. Rossbach, de Sen. phil. librorum recensione et emendatione, p. 6—13.

constituendum contentos nos esse posse dixerit, haud paucos locos inveniri, quibus deteriorum codicum lectiones iis, quas A habeat, praelatae sint, neque miramur, quod idem vir doctus doluit editorem dialogorum recentissimum, Hermem, rursus deteriorum auxilium, praesertim cod. Parisini 15086 saec. XIII, omnino sprevisse [1]). Sed ad dialogorum textum constituendum haud sufficit deteriores illos codices accurate excutere: saepe ad verba corrupta emendanda coniectura opus est. Itaque longus est ordo virorum [2]), qui inde a Lipsio usque ad hanc aetatem in dialogis emendandis desudarunt, atque ego, si etiamnunc paucis locis medelam afferre conabor, meam non messem, sed spicilegium fore, plane mihi conscius sum.

De providentia.

4 § 15: *paulatim enim voluptati sunt quae necessitate coeperunt.*

Nudus ablativus *necessitate,* a verbo quod est *coepisse* pendens, hoc loco ferri nequit, cum *coepisse* verbum substantivum sit, idem valens atque *oriri,* neque audiri liceat infinitivum *esse,* qui si mente adderetur, vim haberet diversam ab antecedente forma *sunt,* cum dativo finali iuncta. Quae cum ita se habeant, una littera duplicata legendum censeo: *quae e necessitate coeperunt.* Cf. Sall. Iug. 85, 17: „*ex* virtute nobilitas *coepit*"; Tac. ann. XV 54, 3: „donec proditio *coepit e* domo Scaevini"; 63, 13: „Neroni odium adversus Vestinum *ex* intima sodalitate *coeperat*".

5 § 9: *non potest artifex mutare materiam: hoc passa est.*

---

1) Berl. Phil. Woch. 47, p. 1479 (a° 1907).
2) Sen. dial., ed. Hermes, praef. p. XIV—XVIII.

quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt.

Ita Hermes Ambrosiani lectionem secutus edidit, Gertzius tamen *est* in *sunt* mutato legerat: *non potest artifex mutare materiam; hoc passa sunt* (ex *st̄*) *quaedam: separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt.* Sed ne sic quidem locus sanatus est, ultimum enim illud *individua sunt* claudicat et prave *quaedam* et *a quibusdam* inter se separata sunt neque nunc habent, ad quod referantur. Transpositione igitur opus est et legendum: *non potest artifex mutare materiam; hoc passa ⟨individua sunt⟩: quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent.* Qua verborum traiectione simul ipsi sententiae consulitur. Nam lectionem traditam tuentes mirum in modum Senecam affirmantem facimus, ex eo quod atomi sint, sequi, ut etiam inter se cohaereant, sed cf. Cic. de fin. I § 17: „ille (Democritus) atomos quas appellat, id est corpora individua propter soliditatem, censet in infinito inani ... ita ferri, ut concursionibus inter se cohaerescant.

6 § 7: *ideo ex omnibus rebus quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius quam mori. prono animam loco posui:* † *trahitur.*

Ex omnibus coniecturis, quae ad hunc locum sanandum a viris doctis propositae sunt, Karsteni *elabitur* pro *trahitur* veri simillima mihi videtur, nisi quod praepositio *e* in composito haud placet propter antecedentia *prono animam loco posui,* quibus verbis non notio evolantis, sed de statu suo decidentis animi requiritur [1]). Quamobrem ad litterarum similitudinem propius accedens, pro *trahitur* conicio: *ultro labitur.*

---

1) Cf. Cic. Tusc. IV § 42: „quia sunt (sc. vitia) in lubrico incitataque semel proclivi labuntur sustinerique nullo modo possunt.

Postquam syllaba UL post UI verbi prioris excidit, facile *-tro labitur* in unum *trahitur* coaluit.

De constantia sapientis.

8 § 3: *si maximum illud, ultra quod nihil habent iratae leges ac saevissimi domini ⟨quod⟩ minentur, in quo imperium suum fortuna consumit, aequo placidoque animo accipimus et scimus mortem malum non esse* cet.

Verbum *consumendi* alienum est ab hoc loco. Fortuna enim in eo quod iratae leges ac saevissimi domini minantur, h. e. in morte, non imperium suum consumit (imperio suo abutitur), sed ad summum imperium pervenisse se ostendit, cum ius vitae necisque habeat. Ergo levi mutatione pro *consumit* scribendum est *consummat*. Idem vitium latet 18 § 5, ubi pro *consumuntur* restituendum est *consummantur*. Recte verbum consummandi in codd. traditum est: de ira III 31 § 2; ep. 88 § 28.

14 § 3: *scit* (sc. sapiens) *emere venalia*.

Gertzius proposuit: *decet emere venalia*, Baehrensius autem, quem secutus est Hermes, coniecit: *scit emi aere venalia*, sed nihil mutandum est. Verbum *sciendi* non habet hoc loco vim vulgarem (= alicuius rei peritum esse), sed significat: a se impetrare posse, animum inducere, quem usum haec exempla illustrent:

Pers. I 54: scis comitem horridulum trita donare lacerna
et Iuv. VII 43: scit dare libertos extrema in parte sedentis
ordinis et magnas comitum disponere voces.

18 § 3: *Chaereae contra, tribuno militum, sermo non pro manu erat, languidus sono et, ni facta nosses, suspectior*.

Miror editores sprevisse id quod iam Lipsius ex deteriorum lectione pro *et ni facta nosses* effecit: *et infracta voce*. Chaerea

enim non modo languide loquendo impudicitiam suam prodit, sed suspectior est cinaedus voce molli et effeminata, cf. Gell. III 5; Phaedr. VI 9, 2; Iuv. II 111. Gertzii coniectura *et in pacta noctis suspectior* (sc. quam in pacta ultionis et coniurationis) sine ipsius explicatione vereor ne non omnibus perspicua sit.

De ira.

I 3 § 8: *ex eo procursus illorum* (animalium) *tumultusque vehementes sunt, metus autem sollicitudinesque et tristitia et ira non sunt, sed his quaedam similia: ideo cito cadunt* (sc. procursus tumultusque) *et mutantur in contrarium et cum acerrime saevierunt expaveruntque* (sc. animalia), *pascuntur et ex fremitu discursuque vesano statim quies soporque sequitur.*

Quotiescumque haec verba perlego, offendo in vocabulo *pascuntur*, quod neque verum est neque saltem ita in universum dici potest, quasi hic mos animalium valeat, ut postquam saevierunt vel expaverunt, in pastionem redeant. Accedit quod Seneca in proximis dixit tumultus illos in contrarium mutari, quocirca in sequentibus non pastionis mentio, sed animi status tumultui contrarii exspectatur. Itaque aptissimum erit sententiae: *pacantur*. Statim enim, inquit Seneca, ex fremitu discursuque quies soporque sequitur.

I 13 §§ 1—2. Tota ratiocinatio in huius capitis exordio docet Senecam demonstrare voluisse iram non esse in bonis numerandam: bona enim accessione quadam boni meliora fieri, velut iustitiam et fortitudinem, iram tamen, quo maior fiat, eo peiorem esse. Quae argumentatio postulat, ut initio capitis sic legamus: *deinde quae habenda sunt ⟨in bonis⟩, quo maiora eo meliora* cet., quod supplementum, iam a Lipsio probatum, mihi videtur praeferendum esse Madvigii coniecturae *avenda* (pro *habenda*).

III 7 § 1: *negotia expedita et habilia sequuntur actorem, ingentia et supra mensuram gerentis nec dant se facile et si occupata sunt, premunt atque abducunt administrantem tenerique iam visa cum ipso cadunt.*

Parum apte *abducunt* cum *premunt* coniungitur de onere quod cervicibus alicuius sustinetur, ut optimo iure animadvertit Kochius, sed neque *adducunt*, quod propositum est, neque *obducunt* neque *deducunt* in hunc locum quadrat. Quid enim? Exspectatur, si ad Annaei sermonem attendas, aliquod synonymum verbi premendi, quo etiam clarius indicetur, quantopere is qui negotium cui non par est susceperit, urgeatur et laboret. Idcirco pro *abducunt* legi velim: *adurunt*. Cf. Plin. n. h. XXVIII § 218: „femina atteri adurique equitatu notum est"; Sen. de ira III 9 § 5: „ab omni homine, quem aliqua res urit"; de const. 17 § 3: „paupertatis maledictum quosdam perussit".

III 8 § 7: *difficiles quoque et indomiti natura blandientem ferent; nihil asperum territumque palpanti est.*

Ad hunc locum Vahlenus adnotat (praef. ed. Kochii p. VIII): „magnopere dubito, quam iuste viri valentissimi iudicii *territumque* uno ore damnaverint... Et est illa generalis sententia, qua per simile a palpando ductum vis blandiendi explicatur universe, palpanti autem equus neque asper neque vero territus aut formidolosus". Quod ad adiectivum *asperum* attinet, optime vir doctissimus locum interpretatus est, nam *asperum est* hic non accipiendum est pro arduum vel difficile est, sed pro contumax est, recalcitrat, cf. Hor. A. P. 163: „(iuvenis) monitoribus asper". Sed quomodo, quaeso, iuxta hoc adiectivum atque tam arcte cum eo per *-que* iunctum, ferri potest participium *territum*, quod nusquam in sermone Latino naturam adiectivi induit neque pro formidoloso usurpatur. Praeterea equi illi quidem recte iidem èt formidolosi

èt contumaces dicuntur (de clem. I 16 § 4), sed haec formido minime cadit in homines iracundos, difficiles, indomitos, qualis Caelius fuit (cf. § 6), quorum est furere et rixari, non terreri. Quare una littera mutata pro *territumque* propono: *cerritumque*. Cf. Cic. ad Att. VIII 5, 1: „etsi solet eum, cum aliquid furiose fecit, paenitere; numquam autem *cerritior* (ita Lambinus pro: *certior*) fuit quam in hoc negotio"; Hor. Sat. II 3, 278; Suet. Aug. 87; P. Diac. (M.) p. 54, 14 (= furiosus).

Ad Marciam de consolatione.

1 § 8: *nam volnerum quoque sanitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt; tunc et uruntur et in altum revocantur et digitos scrutantium recipiunt, ubi corrupta in malum ulcus verterunt.*

Vulgo medici τέμνουσι καὶ κάουσι, hoc tamen loco dicuntur *volnera revocare*. Quid hoc sibi velit, dicat Lipsius: „tentando et explorando; videtur enim repeti et revocari volnus, dum stilus immittitur". Per stilum vir doctus scalpellum significasse videtur, sed etiamsi ei concedimus volnera dici posse *revocari*, si in mala ulcera versa scalpello concidantur (cf. Cels. V 26, 32, 1) et ita quasi noventur vel repetantur, tamen nullo modo fieri potest, ut verbum revocandi, eo sensu adhibitum, cum *in altum* iungatur. Quamobrem pro *revocantur* redde Senecae: *resecantur*. Idem vitium, ut opinor, latet apud Cic. de orat. II § 88: „nam facilius sicut in vitibus revocantur (lege: resecantur) ea quae se nimium profuderunt". Quid revocare valeat de rebus per translationem usurpatum, docent Iuv. I 27 et Suet. Caes. 45.

6 § 1: *si fletibus fata vincuntur, conferamus; eat omnis inter luctus dies, noctem sine somno tristitia consumat.*

Pro *conferamus* Opsopoeus *confleamus* coniecit, Hermes lec-

tionem traditam defendens mente addendum putat *fletus*. Verum sive *confleamus* legimus, sive *conferamus* retinemus, manet offensio in prima illa persona, quae post imperativi formas *muta* ... *puta* (§ 1) ab hoc loco aliena est. Quid Seneca scripserit, apparet ex dialogo de prov. 3 § 2: „alius circumspiciatur, cum quo conferre possimus manum; pudet congredi cum homine vinci parato". Ita, cum locutiones e re militari petitae philosopho in deliciis sint, post *vincuntur* in protasi adhibitum, eum in eadem similitudine perstitisse credo, hanc apodosin subiungentem: *confer manus*, i. e. cum fatis congredere, accingere! Eadem ratione omisso nomine eius quocum alicui congressus est, *conferre manus* absolute positum est apud Verg. Aen. XI 282: „stetimus tela aspera contra | contulimusque manus.

De otio.

6 § 2:.... *sic imperfectum ac languidum bonum est in otium sine actu proiecta virtus, numquam id quod didicit ostendens. quis negat illam debere profectus suos in opere temptare, nec tantum quid faciendum sit cogitare, sed etiam aliquando manum exercere et ea quae meditata sunt, ad verum perducere?*

Dubito, rectene traditum sit illud *exercere*, nam si Virtus otio non contenta, quod didicit ostendere cupiens, meditata ad verum perducit, oratori illi similis, qui iam non domi meditari et se exercere vult, sed in forum eloquentiam suam proferre, non manum *exercere* incipit, sed *exerere* sive *exserere*, quam hactenus in otio cohibuit [1]). Cf. Sen. Contr. V 6; Cic. p. Cael. § 11.

1) Etiam de clem. I 7, 4 cum Lipsio scribendum: „humili loco positis exerere manum, litigare .... liberius est."

Has observationes criticas in Senecam tibi offero, senex venerande, diem natalem octogesimum celebranti. Placeant tibi, si non omnes, at non nullae velim. Imprimis tamen in animo erat, hoc munere parvo meo tibi testificari, quanto opere acumen ingenii tui — cui anni nihil obtrectarunt — admirarer, quanti tua in litteras Graecas et Latinas merita aestimarem, quantam utilitatem ipse ex operibus tuis percepissem.

CHION, COBERUS ET COBETUS.

Chion, Coberus et Cobetus.

SCRIPSIT

S J. WARREN.

Ὅτι δὲ αἱ τοῦ Πλάτωνος Φερόμεναι ἐπιστολαὶ σοφιστοῦ τινος οὐκ ἀκόμψου καὶ τὴν ἑρμηνείαν γλαφυρωτέρου παίγνιά ἐστι, νῦν μὲν οὐδεὶς τῶν Κριτικῶν ἀγνοεῖ, τότε δὲ (Clementis Alexandrini aetate) *πάντες ὡς τοῦ Πλάτωνος οὖσας ὁμολογουμένως ἀνεγίγνωσκόν τ' ἐπιμελῶς καὶ ταῖς ἐξ αὐτῶν μαρτυρίαις ἀνυπόπτως ἐχρῶντο.*

Sunt haec verba Cobeti in libro Tibi, venerande Naber, non ignoto. Audi nunc quae scripsit Eduardus Meyer in tertio volumine Historiae Antiquitatis p. 387: „Dagegen", inquit, „besitzen wir für die Zeit Dions eine Quelle ersten Ranges in Platos Briefen, namentlich dem 7. und 8., die sein Verhalten bei der Bewegung, die zum Sturz der Tyrannis führte, vor der Welt rechtfertigen und nach Dions Tode seinen Anhängern Rathschläge geben wollen. Natürlich sind sie, da sie Briefe sind, von den Neueren für gefälscht erklärt worden; den Alten haben sie immer als platonisch gegolten und von der Biographie sind sie mit vollem Rechte aufs stärkste benutzt worden, wie denn auch kein neuerer Historiker den Werth ihrer Nachrichten hat verkennen können, auch wenn er sie zur Salvirung seines Gewissens als Pseudoplato citirt."

In quinto volumine laudans idem Meyerus epistulam septi-

mam addit (p. 324) haec verba indignationis plena: „Wie Gelehrte von Geschmack dies Selbstbekenntniss und gar die schönen Worte: *φίλον ἄνδρα ἐμοὶ πρεσβύτερον Σωκράτη, ὃν ἐγὼ σχεδὸν οὐκ ἂν αἰσχυνοίμην εἰπὼν δικαιότατον εἶναι τῶν τότε*, für das Machwerk eines Fälschers haben ausgeben können, gehört zu den Dingen, für die mir das Verständniss versagt ist."

Saepius, etiam in editione secunda voluminis primi quae nuper prodiit, in describenda vita Platonis eiusque ingenio illustrando utitur vir *κριτικώτατος* epistolis Platonis tamquam plane *ἀκιβδήλοις*. An iniuria? Non est meum inter tantos viros diiudicare.

Aliae vero sunt epistolae eaeque falsissimae quae mihi, paranti septimam editionem Anabaseos Cobeti, denuo lectae, copiam praebuerunt ut ad Te scriberem aliquid, quamquam misere metuo ne *γλαῦκ' Ἀθήναζε*.

Insunt igitur in Hercheri Epistolographorum Editione epistolae Chionis Heracleensis, viri *τυραννοκτόνου*, qui anno ante Chr. n. trecentesimo quinquagesimo primo Clearchum, oppressorem patriae suae, Heracleae Ponticae (quae urbs, Xenophonte auctore, distat a Byzantio *κώπαις ἡμέρας μάλα μακρᾶς πλοῦν*), interfecit ut patriam liberaret et ipse ab interfecti tyranni satellitibus est necatus.

Hasce epistolas fictas esse nullo negotio ostendam postquam iocularem errorem Hercheri ostendero.

Harum Chionis epistolarum amantissimus fuit vir quidam doctus Coberus, quondam rector vel conrector Gymnasii Budissensis in Saxonia, qui eas ad codices Mediceos recensuit, castigavit et notis atque indice auctas edidit anno MDCCLXV Dresdae ac Lipsiae. Illam editionem inspicere mihi non licuit; discipulus vero huius Coberi, Hoffmannus, heres idem magistri sui in Chionem amoris, denuo easdem epistolas recensuit, quam recensionem I. C. Orellius inseruit in librum, qui

anno MDCCCXVI Lipsiae prodiit in libraria Weidmannia, continentem, praeter fragmenta historici Heracleensis Memnonis a Photio servata atque alia quaedam ad Heracleam pertinentia, Chionis quoque epistolas ab Hoffmanno editas cum versione latina. Additae sunt emendationes a Cobero excogitatae earumque quinque Hercherus in annotatione critica suae editionis laudans nescio quo modo nominum similitudine deceptus quas Coberus invenit Cobeto adscripsit. Sic vos non vobis! Iure Coberus queri posset suas sibi res eripi; pauperis esse numerare pecus; Cobeto sat superque esse neque illi alieno opus esse peculio. Tam verum est καὶ δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ βλαβερὰν εἶναι τὴν ὁμωνυμίαν.

Sunt autem illae epistolae quas Coberus adeo adamaverat haud invenuste scriptae, sed non ab ipso Chione. Confecit eas quispiam sophista. In huiuscemodi ἐπιδείξεσι sophistae non curabant temporum rationes, unice securi — ut Plutarchi verbis utar — quid χρονικοί τινες λεγόμενοι κανόνες iuberent. Nihili illas computationes faciunt nec verentur coniungere quae ipsi probe sciunt re vera temporibus longe diversa fuisse. Sic scriptor Chionis epistolarum facit Chionem scribentem se adfuisse militum Cyrianorum tumultui Byzantii ibique cum Xenophonte philosophatum esse. Uno vel duobus annis postea idem personatus Chion patri suo scribit se Athenis cum Platone philosophari et ipsum Platonen, triginta fere annos natum, facit nuptias sororis nepti maximae natu cum Speusippo parantem. Πλάτωνος ἀδελφιδῶν θυγατέρες εἰσὶ τέσσαρες. τούτων τὴν πρεσβυτάτην ἐδίδου Σπευσίππῳ πρὸς γάμον, sic orditur epistolam decimam, quam patet scriptam esse cum nondum quinque annos Athenis moratus esset. Illa vero levia prae hoc. Cum Chion constituisset decennium totum Athenis morari patrique suo petenti ut domum revertatur identidem rescribat se non ante decennium peractum esse rediturum,

audito nuntio Heracleam a Clearcho oppressam esse omisso priore consilio decennio nondum peracto reditum maturat. Rediit igitur ante annum trecentesimum nonagesimum a. Chr. ut patriam liberaret a tyranno Clearcho, cui paenultimam epistolam scribit, plenam philosophiae, ut se ei purget atque suum reditum nuntiet. Ultima epistola scripta est ad Platonem cui valedicit tamquam moriturus in caede tyranni patranda.

Haec omnia magniloqua et non sine fastu tragico. Sed revera sunt speciosiora quam veriora. Clearchus demum circiter annum trecentesimum sexagesimum quartum tyrannide potitus est, quam per duodecim annos obtinuit. Hoc constat si quid aliud. Memnon Heracleensis et Diodorus Siculus disertim testantur Clearchum rerum esse potitum temporibus quibus Pelopidas ceciderit in pugna contra tyrannum Alexandrum primo anno centesimae quartae Olympiadis et dominationem Heracleae obtinuisse ad annum trecentesimum quinquagesimum primum, quo anno necatus sit a Chione.

Possis dicere Chionem fecisse ut Hectorem legimus, qui postquam lacrimosam et miserantem uxorem ut moriturus reliquerit tamen salvus redierit; sic eum postquam magistro Platoni valedixisset annos fere quadraginta incolumem et inertem vixisse patriae liberatione et caede tyranni dilatis.

Attamen quod fortasse summo poetae — pace Tua dixerim — licuit, non licet viro τυραννοκτόνῳ.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU